This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

103

2941 e 106

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St.-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
J. DIDOT, l'aîné, Imprimeur du Roi, rue du Pont-de-Lodi, n° 6.
F. DIDOT, Imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ PÈRE ET FILS, imp.-lib., rue Saint-Louis, n° 46, au Marais; et rue de Richelieu, n° 67,
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard des Italiens, n° 12.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Haute-Feuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

DE OMNIBUS
M. F. QUINTILIANI
ET
CALPURNII FLACCI
QUÆ EXSTANT OPERIBUS

EXCUDEBAT JULIUS DIDOT
NATU MAJOR, REGIS TYPOGRAPHUS.

M. F. QUINTILIANUS

ET

CALPURNIUS FLACCUS:

DE QUORUM OPERIBUS

JUDICIA TESTIMONIAQUE OMNIA,

ITEM ANNALES QUINTILIANEOS, EDITIONES

RECENSUIT,

ET TRES INDICES ABSOLUTISSIMOS

EMENDAVIT, AUXIT,

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEPTIMUM ET ULTIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

SELECTA
DE M. F. QUINTILIANO
RECENTIORUM JUDICIA

I.

POGGIUS AD BAPT. GUARINUM,

VERONENSEM,

Postquam apud monasterium S. Galli Quintilianum reperisset (1417.)

Licet inter quotidianas occupationes pro tua in omnes humanitate et benevolentia singulari commodum semper tibi mearum litterarum adventum esse non ignorem; tamen ut hisce perlegendis præcipuam quamdam præstes attentionem, te majorem in modum obsecro; non quidem ob eam causam, ut aliquid in me sit, quod vel summe otiosus requirat; sed propter rei dignitatem de qua scripturus sum; quam certe scio, quum sis peritissimus, non parvam tibi cæterisque studiosis hominibus esse allaturam animi jucunditatem. Nam quid est, per Deum immortalem, quod aut tibi aut cæteris viris possit esse jucundius, acceptius, gratius, quam cognitio earum rerum, quarum commercio doctiores efficimur, et quod majus quiddam videtur, elegantiores? Nam quum generi humano rerum parens natura dederit intellectum ac rationem, tamquam egregios duces ad bene beateque vivendum, quibus nihil queat præstantius excogitari; tamen haud scio, an sit omnium præstantissimum, quod ea nobis elargita est usum rationemque dicendi, sine quibus nec ratio ipsa, neque intellectus quidquam ferme valerent: solus est enim sermo, quo nos utentes ad exprimendam animi virtutem, a reliquis ani-

mantibus segregamur. Permagna igitur est habenda gratia, tum reliquorum liberalium et artium inventoribus, tum vel præcipue his, qui dicendi præcepta, ac normam quamdam perfecte loquendi suo studio et diligentia nobis tradiderunt: effecerunt enim, ut qua in re homines cæteris animantibus maxime præstant, nos ipsos et homines antecelleremus.

Hujus autem sermonis ornandi atque excolendi quum multi præclari, ut scis, fuerint latinæ linguæ auctores, tum vel præcipuus atque egregius M. Fabius Quintilianus, qui ita diserte itaque absolute summa cum diligentia exsequitur ea, quæ pertinent ad instituendum perfectissimum oratorem, ut nihil ei vel ad summam doctrinam, vel singularem eloquentiam meo judicio deesse videatur: quo uno solo, etiamsi Cicero, Romanæ parens eloquentiæ deesset, perfectam consequeremur scientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italicos dico) ita laceratus erat, ita circumcisus, culpa, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognosceretur. Tute hominem vidisti hactenus

> ..... Lacerum crudeliter ora,
> Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
> Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.

Dolendum quippe erat et ægre ferendum, nos tantam in hominis tam eloquentis fœda laceratione jacturam oratoriæ facultatis fecisse. Sed quo plus tunc erat doloris et molestiæ ex ejus viri mutilatione, eo magis nunc est congratulandum, quum sit in pristinum habitum ac dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem nostra diligentia restitutus. Nam si M. Tullius magnum præ se fert gaudium pro M. Marcello restituto ab exsilio, et eo quidem tempore, quo Romæ plures erant Marcelli similes, domi forisque egregii ac præstantes viri; quid nunc agere docti homines debent, et præsertim studiosi

eloquentiæ, quum singularissimum lumen romani nominis, quo exstincto, nihil præter Ciceronem supererat, et quum modo simili lacerum ac dispersum non tantum ab exsilio, sed ab ipso pæne interitu revocaverimus? nam mehercule! nisi nos auxilium tulissemus, necesse erat illum propediem interiturum. Nam neque est dubium, virum splendidum, mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis, fœditatem illius carceris, squalorem loci, custodum sævitiam diutius perpeti non potuisse: mœstus quidem ipse erat ac sordidatus, tamquam mortis rei solebant, squalentem barbam gerens ac concretos pulvere crines; ut ipso vultu atque habitu fateretur ad immeritam sententiam se vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, ut se ab iniquo judice tuerentur; postulare et indigne ferre, quod qui quondam sua ope, sua eloquentia multorum salutem conservasset, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem misereret fortunarum suarum, neque qui suæ consuleret saluti, aut ad injustum rapi supplicium prohiberet. Sed quia temere persæpe eveniunt, quæ non audeas optare, ut ait Terentius noster, fortuna quædam fuit quum sua, tum maxime nostra, ut quum essemus Constantiæ otiosi, cupido incesseret visendi ejus loci, quo ille reclusus tenebatur. Est autem monasterium Sancti Galli prope urbem hanc millia passuum viginti: itaque nonnulli animi laxandi, et simul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus esse dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertissimam librorum copiam, quos longum esset recensere, QUINTILIANUM comperimus[1], adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ et pulvere squalentem[2]: erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in teterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet

1. *Comperimus. Reperimus*, Mabillon.
2. *Squalentem. Refertum*, Mabillon.

unius turris, quo nec capital[1]. quidam rei damnati detruderentur. Atqui ego pro certo existimo, si essent qui hæc barbarorum ergastula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoscerent more majorum, similem fortunam experturos in multis, de quibus jam est conclamatum. Reperimus præterea libros tres primos et dimidiatum quarti C. Valerii Flacci Argonauticon et expositiones, tamquam thema quoddam super octo Ciceronis orationibus Q. Asconii Pediani, eloquentissimi viri, de quibus ipse meminit Quintilianus. Hæc mea manu transcripsi, et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum, et Nicolaum Florentinum[2]. Habes, mi suavissime Guarine, quod ab homine tibi deditissimo ad præsens tribui potest. Vellem potuissem etiam librum transmittere: sed Leonardo nostro satisfaciendum fuit. Verum scis, quo sit in loco, ut si eum voles habere (puto autem te quamprimum velle) facile id consequi valeas. Vale, et me, quoniam id mutuo fit, ama[3]. Kalend. januar. anno Christi MCCCCXVII.

1. *Nec capital.* Mabillon. *ne vita quidam damnati detruderentur.* Menag. *ne capitales quidem rei.*

2. *Florentinum.* Addit Mabillon.: « Qui quum a me hujus thesauri « adinventionem cognovissent, multis a me verbis Quintilianum per suas « litteras quamprimum ad eos mitti contenderunt. » Hæc in nostro codice desiderantur. CAPPER.

3. Vide præfat. Spalding. in nostræ edit. volum. I, pag. 18 sqq. ED.

II.

LEONARDUS ARETINUS

GRATULATUR POGGIO

Repertum Quintiliani Codicem. (1417.)

O lucrum ingens! insperatum gaudium! Ego te, Marce Fabi, quando te integrum aspiciam! et quantus tu mihi tum eris! quem ego quamvis

> ..... Lacerum[1] crudeliter ora,
> Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
> Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares,

in deliciis habebam. Oro te, Poggi, fac me quam cito hujus desiderii compotem, ut, si quid humanitus impendeat, hunc prius viderim, quam e vita discedam. Quintilianus rhetoricæ pater et oratoriæ magister ejusmodi est, ut quum tu illum diuturno ac ferreo barbarorum carcere liberatum huc miseris, omnes Hetruriæ populi concurrere gratulatum debeant.

1. *Lacerum.* Æneid. lib. VI, vs. 495 sqq.

III.

CAMPANI PRÆFATIO

AD CARDINALEM* SENENSEM.

Ciceronis et Quintiliani comparatio. (1470.)

UTINAM, quod nuper in Livio Papiensis nostri jussu conatus sum facere, ut esset quam emendatissimus, idem nunc hortatu tuo et in Quintiliano licuisset: quorum diverso in genere eadem prope utilitas, certe par dignitas est. Sed illum series ipsa temporum continuata et veluti per manus tradita nobis, ac nexus quidam inter sese rerum sic alligat, ut teneri facile possit. Hunc varietate præceptorum per omnes evagatum eloquentiæ campos, et tamquam ad plura intentum atque ideo lubricum difficile sic prendas, ut totus habeatur: ob hoc ipsum obscurior, quoniam ita per campos decurrit, ut tamen omnes intrare quamvis reconditas latebras, et in intima quæque penetrare artis arcana videatur. De quo si judicium poscas meum, illud vere videor mihi posse afferre, deesse eloquentiæ, quidquid a Quintiliano non discas, et ibi artem desinere dicendi, ubi ultimum ejus fuit præceptum, quo quid modo dici oportet: ut fortasse non temere contendisse quidam videantur,

*. In Burmanniana editione erat *Antonio Moreto*: sed errorem hunc liquido demonstravit et egregie refutavit Michael Maittarius in dissertatione de antiquis Quintiliani editionibus. CAPPEN.

hunc aut parem Ciceroni, aut si hoc magnitudo illa divini cælestisque ingenii non patiatur, haud multo inferiorem fuisse. Verum judicare majoribus de rebus, tam cuique liberum est, quam temerarium: et ut ingerere te in quæ nescias, arrogantis est, ita et tacere, quæ scias, timidi. Magnus quidem, mea sententia, Cicero, magnus Quintilianus; sed est et in magnis quoque semper aliquid eminens. Est et, in quo superentur, nec cuiquam ita tota natura se præbuit, ut non aliquid sibi velit retentum, quod largiri et alteri possit, ut raro invenias celeritatem in eo esse eximiam, cui insit et robur. Et arborum aliæ crescunt sublimius, aliæ latius effunduntur: parvis utrumque concessum est. Cumulata mihi quidem videtur in utroque eloquentiæ magnitudo: sed aliter hic in præcipiendo summus est habitus, ille in dicendo longe eminentissimus judicatus. Quintilianus, quibus armis pugnandum sit, docuit: M. Tullius et ostendit, quomodo vincamus, et ipse semper cum victoribus contendit. Illius studia multum laudis in umbra consecuta sunt: hujus in foro plurimum gloriæ peperere. Et regnasse in concionibus atque subselliis fertur Quintilianus: in scholis et classibus floruisse Cicero, pugnacior ipse multo, Quintilianus instruendis aliis aliquanto fortasse diligentior. Tum in ipso quoque dicendi genere multum est intervalli: magnificus et plenus Cicero; hic sumptuosus et locuples: ille amplus, sublimis, redundans; hic gravis, acer, elaboratus: alter natura ornatior; alter studio æque expolitus: Quintilianus sententiis premit et pondere; Cicero et his ipsis et viribus et sublimitate et amplitudine et majestate convellit; ut videri possit, illi æque multa spicula in manibus esse, huic plus telorum: et ille tentare pungereque sæpius, hic altius vulnerare atque conficere. Tum citra vim illam sumptus in manus Quintilianus acumine capit lectorem; sumptus Cicero gratia et candore delectat. Denique tanta vicinitas est,

quanta videri inter eum potest, qui primus sit omnium in cursu, et eum, qui nisi hic antecederet, ipse jam prævenisset. Est et in translationibus ac similitudinibus diversitas: in quibus visus est Cicero et adhibuisse modum, temperasseque ingenio, et aliquanto fuisse distinctior: hic nescio an usque ad vitium nimius, non tamen ita conculcandus, ut et splendorem non afferat. Quippe et ipse ita distinguit: veluti est gloria, quod nihil aut hic præcepit faciendum, quod ille antea non præstitisset; aut ille præstitit, quod hic postea non præceperit. Tanto Quintilianus inferior, quanto est ex arte dicere, quam scribere de arte, præstantius: sed eo fortasse diligentior, quo instituendis rebus plus vigiliarum ars postulat, quam natura faciendis. Tum amplissimus ingeniorum laudator Cicero, judex æquissimus Quintilianus. Itaque mira se hic moderatione arbitrum inter Græcos nostrosque constituit, mira illorum laude, nostrorum æmulatione, judicium peragit, et veluti in medio ad gratiam positus, multa concedit omnibus, nemini detrahit quidquam, ut non minus scisse eum recte judicare existimes, quam voluisse: et hunc ubi noveris, omnium et studia et ingenia noveris. Proinde de Quintiliano sic habe, post unam beatissimam et unicam felicitatem M. Tullii, quæ fastigii loco suspicienda est omnibus, et tanquam adoranda, hunc unum esse, quem præcipuum habere possis in eloquentia ducem: quem si assequeris, quidquid tibi deerit ad cumulum consummationis, id a natura desiderabis, non ab arte deposces. Vale.

IV.

CAMPANI PRÆFATIO

AD CARDINALEM SENENSEM

Censura in Quintiliani Declamationes. (1470.)

Centum et triginta sex Quintiliani Declamationes ad te nuper e Germania missas Quintiliani esse sic arbitror, ut alterius et temporis et studii putem, quam undeviginti quæ circu mferuntur illius nomine: alia vis, alia gratia, diversus ornatus utrisque est; at est, ut semel dicam, inter finitimas perquam longa distantia, sed qualis esse inter optima possit. In illis quidem visus est locos omnes, qui pertinere ad rem viderentur, pervestigasse; in his duntaxat necessarios et natos ex rebus. Quamobrem amplior illic et curiosior et redundantior latissime excurrit; hic collectus et modicus intra breves quidem, verum suos, fines se continet. Illuc ad omnem occasionem exit e stadio, ut plus occupare spatii videatur: hic nunquam fere curriculo egreditur, ne in aliena, nec toto ad se pertinentia jure perrumpat. Sarcinæ in illis plus est; his ponderis non minus: tum multum in illis roboris, cæterum dissipati et per intervalla disjecti; hæ, quod habent virium uno corpore exhibent. Acumine sententiarum illic superior: rerum, quantum ego sentio, tantumdem hic gratia se vincit. Etenim in illis semper queri, semper ingemere, semper la-

mentari magno ejulatu, majore etiam, quam casus ferant, artificio videtur: hic parum querelis, multum legibus, multum interpretatione contendit, ut non tam queri eum dicas, quam se defendere. Affectus in illis multo plurimi; in his prope nulli sunt; ut videatur illic magnam spem ponere in judicum animis; hic nulli rei, nisi causæ, confidere. Copia rerum in illis, quanta esse posset; in his quanta sufficeret: illic nihil, quod ad rem dici posset, prætermisit; hic nihil adjecit, quod non oporteret. Hæc rerum diversitas: est quoque et magnum in verbis juncturisque discrimen. Illic et innovat quædam et epitheta connectit, et translationibus est frequens, et raro sine pæane se colligit, et impressiones affert, et trajectionibus continuis et spatiis spatiolisque lætatur: hic tamquam de industria hæc omnia vitat; nam simplex et purus, et lætus magis numeris, quam compositus, nec iambos quidem aspernatur, et spondeis si clauditur, mira diligentia negligit cæditque orationem brevibus intervallis, perspicuitatis studiosior, quam magnitudinis; videturque cupere in illis manifesta compositione laudari, in his hoc velle, ne laudetur. Utrumque magni propositi; et ostendere se compositum, et dissimulare id quod est, ne esse videatur. Illic sententiis gravis et densus; hic minus inest libertatis, minus quod possis excerpere. Itaque sic existimo: in his, quæ nuper inventæ sunt, ad verum declamatum in scholis esse; nam et sermones veluti præcepta quædam antecedunt, nec unquam disceditur longius a causa, et sæpe interjectis ad rem præceptis ipsis interrumpuntur, ut videantur non minus præcipientis esse, quam declamantis: illas alteras otii cujusdam domestici secretiorisque studii fuisse, multaque scripta ad ingenium, multa ingesta, multa incumulata, quædam etiam ad poeticas usque expressa delicias, quod non tam alienis parcere auribus, quam ingenii sui viribus obsequi vellet, nec ulli reddenda esset ratio, quantum

diceret, omnibus, quantum posset. Et fortasse illis prioribus quantum accessit curæ, tantum gratiæ deperiit. Nam fieri solet, ut jucundiora sint, quæ delectant veluti neglecta, quam quæ elaborata fastidiuntur, et gratiora quæ veniunt a natura, quam arte; ut fontium gratia tunc est maxima, quum labuntur inter lapillos, et cursu placent suo, atque, ut ita dicam, geniali, non ductu, derivantur: et natura fert, ut læviores fusæ statuæ, quam cælatæ videantur. Mihi quoque sic evenit, ut nunquam scribam facilius, quam quum semel, addo etiam, quam quum negligenter: ita quidquid artis est aut curæ, duritie non caret; natura facillima est, et quantum emendatur, tantum durescit a studio. Equidem scio, me contentionem mihi cum multis de judicio simul et ingenio parere, qui ausim Quintiliani scripta, viri post unum Ciceronem in eloquentia summi, veluti in trutina expendere. Sed ego sententiam profero meam, non quid cæteros sentire oporteat, præscribo, nec ita comparo, ut non liberum sit cuique aliter de utrisque judicare. Repetam sæpe: plus in illis copiæ, argumentorum, sententiarum, acuminis, elaborationis esse contenderim; has puriores, faciliores, latiniores videri. Quum dico latiniores, magis Romanas dico, fluentes non minus natura, quam arte, candidas, quietas, non fuscas, non turbulentas, sponte lætas, non studio coactas, et ut pluribus me objiciam telis, stilo orationis, qui fuit per Ciceronis tempora, propinquiores; per cætera illis priores antepono. Nam et magnitudine illic amplior, et sententiis sublimior, et verbis numerosior multo est, et nullum locum non adit, et acriter insurgit, et quod in eo aliquando desideraverim, raro dimittitur. Affectus autem, quibus nisi fuerit orator armatus, quæ inferre possit vulnera, vix habet, omnes videtur effundere, nisi quod eos numerus multo reddit obtusiores, quam si impetu et celeritate jacerentur. Hæc de meo judicio dicta. Conjecturam facere ex

ipso codice licet, primum quod trecentas sexaginta fuisse ostenditur, quem numerum nescio an alius, quam Quintilianus impleverit. Deinde quoniam Quintiliano attribuuntur; nec multo post Quintiliani tempora exscriptum tam vetustum codicem puto, ut errari tam recenti memoria vix potuerit. Etiam quod ante Senecam multos quidem declamasse, verum nullius exstare Declamationes constat, tum quod subsequuntur in codice Declamationum Senecæ decem libri, ut dubitari non possit, nec Senecæ quidem esse, quamquam illud quoque accedit, quod abest Seneca longissime a tanta puritate. Secundum has Calpurnii Flacci exceptæ quædam paucæ perbrevesque sententiæ, quem ego inter declamatores laudatum, nescio, an unquam legerim. Argutulus tamen vult videri, et, nisi quod brevior est, Senecæ persimilis: post hunc *Finis Excerptarum* subscribitur litteris majusculis, et *Antonii Juliani*, nescio cujus, ac mox et *extemporaneæ Quintiliani* promittuntur, ut facile appareat, subsecuturas fuisse extemporaneas. Fuisse et alium Quintilianum, superiorem hoc, non me latet: sed difficile est nobis judicare de eo, cujus famam nostri majores suppresserunt. Poteris tu et aliorum judicia quærere, ut sciri possit, quum tam præclarum ex te accipimus munus, quid id sit, quod accepimus. Nam illud quoque ad liberalitatem spectat, non ignorare, quantum contulerint, qui dederint; quantum debeant, qui acceperunt. Ego, cuique aliter sentienti facile accedam, non ignarus judicium meum ex iis natum, quæ didici, non alienum ab iis, quæ ignorem, futurum. Vale.

V.

JOANNES ANDREAS,

EPISCOPUS ALERIENSIS,

AD PAULUM SECUNDUM, PONTIFICEM MAXIMUM,

In Quintiliani recognitionem. (1470.)

QUINTILIANUM, pater beatissime, Paule II Venete, Pontifex maxime, omnes merito diligunt, nonnulli vero Ciceroni etiam, ingeniorum ac facundiæ fonti illi immortali, conantur anteferre: qua in assertione..... «magno se judice quisque tuetur». Ipse tam hunc artium dicendi thesaurum, quam reliquos veteres satis habuerim, si queam recte intelligere, et veneratione doctrinis debita observare, cantans cum altero Hispano ingeniosissimo quidem atque elegantissimo ac latinitatis maximo illustratore:

> Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
> Gloria romanæ, Quintiliane, togæ;
> Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
> Da veniam; properat vivere nemo satis.

Hunc proximis calorum urbis diebus mediocri cura recognovimus, minore sane labore quam cæteros; propterea quod ab homine ordinis nostri excellenti ante traditus erat, alteri talium opificum officinæ imprimendus, cujus etiam epistolam in volumine nostro transtulimus, ut quid vir

doctissimus de Quintiliano senserit, ex nostris quoque codicibus intelligeretur; utque mihi alioquin hoc tempore febrienti aliquid de dictandi opera demeretur, qui facile quoque præsentem epistolam addere nostro operi supersedissem, nisi quod Sanctitati tuæ nostra omnia jam inde ab initio conatus hujus audacioris munera consecravi. Tu vive in æternum, Pontifex sanctissime. Anno Dominici natalis MCCCCLXX, pontificatus vero tui septimo.

VI.

ANGELI POLITIANI ORATIO*

IN

M. FAB. QUINTILIANUM. (1498.)

QUINTILIANUM vero non nos quidem illum Ciceroni prætulerimus, sed has certe ejus oratorias Institutiones Rhetoricis Ciceronis libris pleniores uberioresque esse existimamus: nempe quæ ab ipsa quasi infantia, atque ipsis incunabulis instituendum oratorem susceperint, summamque ejus eloquentiæ manum imposuerint. Itaque ne ipse quidem Cicero satis, quæ de arte oratoria scripserit, probasse omnia videtur. Nam et Rhetoricos libellos, in iis qui

* In Burmanniana editione legebatur Campani præfatio ex Angeli Politiani præfatione in M. Fab. Quintiliani Inst. Oratorias; quem sane titulum unde Burmannus exscripserit, ignoratur. Vide Politiani Opera, Venet. 1498, et Florent. 1499. Lege sis Mich. Maittarii Dissertationem de antiquis Quintiliani editionibus. CAPPER.

de Oratore sint, haud usquequaque sequitur, et rudes inchoatosque adolescenti sibi excidisse e manibus affirmat, et ab his ipsis de Oratore in alio ad Brutum libro identidem desciscit: neque in hoc quoque, quem extremum absolverit, ulla de arte præcepta ponit, sed oratorem quasi ipsum informat, et quod dicendi sit optimum genus, decernit. Ergo ut philosophi nostri non, quum in primis Aristotelem sequantur, statim illum Platoni anteponunt, ita nos quod Quintilianum quam Ciceronem interpretari maluimus, non quidem Ciceronis sacrosanctam illam gloriam detrectavimus, sed ad Ciceronem festinantibus vobis egregie consuluimus. Hæc igitur et de Quintiliano nostra ratio fuerit. Sed neque inusitatas vias indagamus, quum veterum libros auctorum in manus sumpserimus, qui tamen si minus in usum consuetudinemque hominum aliquot jam ante seculis non venerunt, non tam ipsorum culpa, quam fortunæ ac temporum injuria effectum est. Quid enim nunc attinet superiorum calamitatem temporum memoria repetere? quod sine summo dolore facere vix pie possumus, quibus insignes illi, atque immortalitate dignissimi scriptores, partim a Barbaris cæsi, fœdeque laniati sunt, partim ab his ipsis ad nostrorum usque parentum memoriam velut in carcerem conjecti, atque in compedibus habiti, vix tandem aliquando, sicut erant semilaceri atque trunci, multumque a seipsis immutati, suam hanc in patriam revertunt. Perquam igitur inhumanum facinus a nobis fieret, si de nobis, deque majoribus nostris optime meritos insignes hos viros, dudum deposita capitis diminutione, jure postliminii civitatem repetentes, non vel quam lubentissime agnoscamus, atque in ipsam, quæ his maxime debet, latinitatem, suam in rempublicam, suum in ordinem, atque adeo intra privatos parietes nostros, intra nostrum sinum benigne admiserimus. Quod quidem si me nunc primum auctore adipiscentur, cur mihi

tandem id vitio vertatur, aut cur non summa potius gratia ab omnibus habeatur, quod quasi mea privata pecunia publicum omnium æs alienum dissolvere non dubitarim? Postremo ne illud quidem magni fecerim, quod horum scriptorum seculo corrupta jam fuisse eloquentia objiciatur: nam si rectius inspexerimus, non tam corruptam atque depravatam illam, quam dicendi mutatum genus intelligemus. Neque autem statim deterius dixerimus, quod diversum sit, major certe cultus in secundis est, crebrior voluptas, multæ sententiæ, multi flores, nulli sensus tardi, nulla iners structura; omninoque non tantum sani, quin et fortes sunt omnes, et læti et alacres, et pleni sanguinis atque coloris. Quapropter ut plurima summis illis sine ulla controversia tribuerimus, ita priora in his aliqua, multoque potiora existere jure contenderimus. Itaque quum maximum sit vitium, unum tandem aliquem solumque imitari velle, haud ab re profecto facimus, si non minus hos nobis, quam illos proponimus, si quæ ad nostrum usum faciunt, undique elicimus, atque, ut est apud Lucretium, lib. III, 11:

> Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
> Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Atque hoc profecto est, quod quum diu Marcus Cicero Atticis illis limatis et emunctis orationibus operam dedisset, post illa tamen et Rhodiis et Asiaticis oratoribus aures commodavit: quorum lenti illi quidem, atque remissi; ii vero inflati, vani, atque jactantes; utrique vero minores Atticis, quasique ab iis degenerantes existimarentur. Itaque egregie nobilis pictor, qui quum interrogaretur quonam in primis magistro profecisset, illo, inquit, populum intuens; et recte id quidem. Nam quum nihil in natura hominum sit ab omni parte beatum, plurium bona ante oculos ponenda, ut aliud ex alio hæreat: et quod cuique conveniat, aptandum est. Est autem Quintiliano proposi-

tum, oratorem eum instituere, qualem fuisse neminem memoriæ sit proditum: qui et moribus perfectus, et omni scientia omnique dicendi facultate sit absolutus. Quapropter qui tantæ moli sit destinatus, eum recens natum, quasi de matris gremio suum in sinum continuo accipit, nihilque sibi reliqui facit, quod quidem ad educandum, erudiendum, informandumque illum pertinere intelligat, nunquam a se ante dimissurus, quam quum vivendi, sciendi, dicendique omnibus numeris perfectum atque absolutum, planeque oratorem summum singularemque reddiderit. Atque ad hunc unum terminum, omnes non suas modo, sed omnium, ut quique probatissimi forent, veterum scriptorum sententias, omniaque præcepta quasi sagittas in scopum rectissime collimat. Ac de intentione hactenus. Utilitas autem tanta in his voluminibus existit, quantam vix fortasse in unius alteriusve ex omni Græcorum Latinorumque copia inveneritis.

Marcus Fabius Quintilianus, ex Hispaniæ oppido Calaguriæ, maxime propter obsessum in eo Sertorium insigni, Nerone imperante, a Galba, qui et ipse deinde imperator fuit, Romam adolescens admodum perductus est. Patre autem, quantum colligimus, quum erudito viro, tum in reipublicæ tuæ administratione honestissime versato, usus est. Ipse quum in ea tempora incidisset, quibus et Annæus Seneca, et Julius Africanus, et Vibius Crispus, et Trachallus, et Afer Domitius, aliaque Romanum forum præclarissima ingenia illustrarent; Domitium in primis senem jam colendum sibi affectandumque proposuit, hominem quum omnium ejus ætatis oratorum eminentissimum, tum præcipua quadam facetiarum atque urbanitatis laude memorandum; neque illius solum actiones, verum et domesticos sermones diligentissime omnes observavit. Amavit etiam familiarissime æqualem suum Julium Secundum, miræ facundiæ miræque gratiæ virum: cui tametsi properata

mors injuriam fecit, magnum tamen is quoque inter laudata ingenia sibi locum vindicat. Quum vero et probatissimis moribus, et summa ingenii vi, et acerrimo studio Quintilianus esset, prima statim juventa celebrare forum, atque in summis patronorum numerari occœpit: ad eamque virtutis et ingenii commendationem repente pervenit, ut non solum maximæ quæque ad illum causæ deferrentur, sed et notarii qui ejus dicentis verba exciperent, vulgo a studiosis hominibus conducerentur. Quotiens vero cum aliis agebat, omnium non solum concessu, sed et consensu fere ab ipso ponendæ causæ initium exigebatur. Primam vero actionem, juvenili quadam cupiditate gloriæ ductus, eam emisit, quæ Nævii Arpiniani causam continebat, in qua quæsitum fuerat, præcipitatane esset ab illo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset. Inter cæteras autem quas egit causas Quintilianus, duæ in primis insignes habentur: altera, quam pro regina Berenice apud eam dixit: altera, qua ream tuebatur, quæ subjecisse dicebatur mariti testamentum, et chirographum marito expirante heredibus dedisse: quod verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem quæri facile erat, si hoc diceret palam, sed peribat hæreditas. Ita ergo figurate causam egit, ut judices illud intelligerent factum, delatores autem non possent apprehendere ut dictum: idque cum maxima Quintiliani laude utrumque contigit. Verum præter ingenium, quod in illo fuit eminentissimum, tantam etiam vim concipiendarum imaginum, quas phantasias vocant, habuisse accepimus, ut frequenter ita motus sit, ut non solum lacrymæ illum, sed et pallor et vero similis dolor deprehenderent. Sed quum diu jam in foro tanto successu tantaque gloria versatus foret, ut inde non ingenteis modo opes, sed et Romanam civitatem, omniaque nobilitatis jura con-

sequutus esset, et jam maximus, ut Juvenalis inquit, orator haberetur, honestissimum sibi agendi causas finem statuens, dum adhuc desideraretur, receptui cecinit, suamque mox operam, vir procul dubio hominum causa natus, ad præcipiendi munus transferre coactus est. Quo loco annotandum nobis est primum omnium, Quintilianum Romæ publicum juventutis gymnasium, et e fisco eximium stipendium accepisse: multique ex ejus ludo, quasi ex equo Trojano, litteratorum proceres exstiterunt, inter quos et Plinius ille junior fuit, qui etiam in epistolis Quintilianum præceptorem suum libentissime agnoscit: et Juvenalem item fuisse (ut quidam arbitrantur) maxime verisimile est, qui de illo his verbis honorifice mentionem facit, VII, 188:

> ..... Unde igitur tot
> Quintilianus habet saltus? exempla novorum
> Fatorum transi: felix et pulcher, et acer;
> Felix, et sapiens, et nobilis et generosus,
> Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.
> Felix, orator quoque maximus et jaculator;
> Et si perfrixit, cantat bene.

Erat autem in eo præter cætera adeoque exprompta fidelisque memoria, ut quæ ex tempore aliquando dixisset, ad verbum etiam repetita redderet: cujus rei sæpissime periculum fecit, si quando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. Postquam vero in erudiendis juvenibus viginti annos tanta sua gloria tantaque juventutis Romanæ utilitate posuit, ut ab ingeniosissimo latinorum epigrammatum poeta et *vagæ juventutis moderator*, et *romanæ togæ gloria* vere meruerit appellari; etiam hunc laborem deprecatus, studiis aliquando suis quietem impetravit. atque ut non solum ætatis suæ hominibus, sed et posteris quoque consuleret, totum illud otium ad hos de oratoria institutione libros componendos transtulit: quorum quum tertium jam

manibus volumen haberet, Domitianus Augustus curam illi sororis suæ nepotum delegavit. Uxorem prætorii viri filiam, omnes quæ in fœminam cadunt laudes, ut ipse inquit, supergressam, quum nondum ætatis undevigesimum explesset annum, duos eñixam filios, amisit. Quorum alterum quintum jam annum egressum, miræ gratiæ, jucunditatis, ingeniique puerum, deflevit exstinctum. Alter autem sui nomen parentis referens, jamque ætatis decimum egressus annum omnibus etiam, quas vix illa capiat ætas, corporis animique laudibus cumulatus, et consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum prius admotus, atque avunculo prætori gener destinatus, et omnium spe sacris eloquentiæ candidatus, quum octo mensium valetudinem perpessus esset, infelici parenti hos ipsos etiam in pueri usum elucubranti libros, alterum orbitatis vulnus inflixit: atque hunc suum casum in horum librorum sexto vir pius, sed omnium suorum superstes miserabiliter delamentatur. Hos autem qui nunc in manibus nostris libri versantur, Victorio Marcello, quum summa sibi amicitia conjuncto, tum eximio studiorum amore flagranti, dicavit: de quibus, id quod de Carthagine Sallustius ait, silere satius puto, quam pauca dicere. Ferebantur autem et alii duo sub Quintiliani nomine libri artis rhetoricæ, neque editi, ut ipse inquit, á se, neque in hoc comparati. Nam alterum sermone per biduum habito, pueri, quibus id præstabatur, exceperant: alterum pluribus sane diebus, quantum notando consequi potuerant, interceptum, boni juvenes temerario editionis honore vulgaverant. Hos deinde composuit, in quibus eadem sunt aliqua, multa mutata, plurima adjecta. Fuit enim in homine, ut in nullo unquam, ingenuus quidam animus. Itaque omnia in his libris sedulo præcipit, et omisso interdum speciosiore styli genere, ad utilitatem se discentium summittit: omniaque in iis, quæ sequutus ipse est, quæ partim præceptis, partim ratione

cognoverit usurpata, sine ulla dissimulatione promit. Sed neque veterem prorsusque vulgatam opinionem suam damnare ipse in his libris est veritus, neque in tanta re homo candidissimus conscius esse sibi dissimulanti in ulla parte judicii sui sustinuit. Præter hos autem, et unum librum *de causis corruptæ eloquentiæ*, et alterum item, qui nunc quoque exstat, declamationum composuit. Miro autem candore veterum ingenia virtutesque omnium indicavit. Senecam tantum damnare, invisumque habere est creditus: quod accidisse sibi ipse scribit, dum corruptum et omnibus vitiis depravatum dicendi genus revocare ad severiora judicia contendit. Nam quum solus fere Seneca in manibus adolescentium foret, non quidem ipsum omnino conabatur excutere, sed potioribus præferri non sinebat. Hactenus, quæ mihi de Quintiliano comperta sunt.

VII.

ALDI PRÆFATIO

AD JOANNEM BAPTISTAM RHAMNUSIUM COMPATREM. (1512.)

Si quisquam est, cui nuncupare debeamus libros excusos cura nostra; tu ille es, Rhamnusi suavissime: nam præter eruditionem, et modestiam tuam, es enim et latinis, et græcis literis, et moribus ornatissimus: nunquam nos in hac dura provincia nostra cessas juvare; quæ mira in bonas

literas benevolentia est tua, non solum assidue, et diligenter inquirendis antiquis exemplaribus, sed etiam illis ipsis sedulo suppeditandis: quemadmodum superioribus diebus in Quintiliano a te est factum; quem dum cursim recognosceret Naugerius noster (minimum enim otii inter recognoscendum habuit, festinantibus impressoribus, quibus nec mora unquam est, nec requies) assiduus illi adjutor hæsisti, et comes, tamquam alter Achates Æneæ: quippe qui ab illius latere nunquam discedas ob tuam in illius summas virtutes assiduam observantiam: jure igitur tibi Quintilianum dedicamus. Quod etiam ea causa facimus, ut quicunque bonas literas amant, te quoque de animo, de studio tuo in illas ament plurimum. Quam autem correctus, atque longe alius ab iis, qui habentur in manibus, exeat ex ædibus nostris, facile cognoscet, qui cum illis hunc nostrum diligenter conferat: multa tamen relicta esse inemendata non negamus: quibus corrigendis OEdipo conjectore opus foret: sed, ut spero, corrigentur et ipsa aliquando correctiore aliquo exemplari invento: annuat Deus, ac sinat, ut et id, et quæ cupimus cætera ad utilitatem hominum, et qui nunc sunt, et qui post aliis erunt in annis, possimus efficere. Vale.

VIII.

JOANNIS SICHARDI PRÆFATIO.

(1529.)

Post multas, easque nec indiligentes omnino M. Fabii Quintiliani editiones, quum et nobis ejus edendi consi-

lium subiisset, visi sumus id rectissime et veluti auspicato facturi, si non, ut cæteri fere nostra ætate omnes, ingenio, sed exemplaribus paulo vetustioribus freti, hoc facere ingrederemur. Nec enim obscurum est, quantam maximis quibusque auctoribus cladem attulerit hoc emendationis genus, quod illotis quidam manibus ad auctores quasi per ludum accedunt, pro libidine ut quidque in mentem venerit, aut tollentes, aut ingerentes. Quæ res quum cæteris fere omnibus, tum ipsi maxime Fabio obfuit, adeo ut commemorare pigeat, quam subinde aliis atque aliis mendis, sciolorum quorundam vitio, veluti vulneribus affectus sit, dum pro se quisque hoc sibi sumit, ut in alieno libro ingeniosus videatur. Quo factum est, ut subdititiis quibusdam insertis, non modo præterita sint, quæ ad rem faciebant, sed quod est multo gravissimum, cœperint interim in pretio esse et usu, sub magni scilicet nominis umbra, quæ ab omni dicendi ratione longe lateque abhorreant. Id qod fortasse alibi sit tolerabilius, sed ubi quidquid dixeris fecerisve, in exemplum protinus abit, atque deinde imitationem, ibi quamlibet parvus error etiam capitalis est. Nec accidit hic, quod fere alias, ut erratorum nos aliquando pudere possit, sed placemus etiam nobis errore, dum exemplo quidquid ejus rei est facere nos persuasum habemus. Hæc nobis causa fuit, humanissime lector, ut auctorem longe eminentissimum et dicendi gravitate et acumine judicii in manus sumeremus, non quidem hoc animo, ut spem cuiquam faceremus, nihil post nostrum laborem fore reliqui, quod luce indigeat, quis enim hoc sibi nisi impudentissimus polliceri ausit? sed ut probaremus saltem studium nostrum in restituendis pro virili nostra ejusmodi autoribus, quos sane perpaucos temporum injuria reliquos nobis fecit: simul ut et his gratificaremur, qui instandi, ut hoc ageremus, nullum finem faciebant. Quorum quidem præcipuus fuit Joan. Antonius Cassoviensis,

vir quum absoluta omnium artium, quæ in summum virum cadere possunt, cognitione præditus; tum rei Medicæ callentissimus, qui ex media fere Polonia ad nos exemplari vetere submisso, sic pro amicitiæ nostræ jure apud me egit, ut tergiversandi nullum relinqueret locum. Ut autem habeas, humanissime lector, consilii nostri rationem, quid in toto opere spectaverimus, ita accipe: Initio curæ nobis fuit magnopere, ut ipsum dictionis filum usquequaque sui simile esset, eamque ob causam nil ad veriti quorundam judicia, movimus loco, quidquid visum esset alicunde arrepsisse in contextum, id tamen velim existimes factum duce exemplari, sine quo usque adeo nihil putavimus tentandum esse in veterum monimentis, ut nec ullam pestem studiis ducamus majorem. Deinde quum pleraque varie legerentur, marginibus curavimus adscribi ea quoque, quæ a sententiæ, ut videbatur, proposito, longissime recederent: non hoc agentes, ut, vulgata editione damnata, obscura quædam sufficeremus, quæ lectorem morarentur, sed quo a paulo acutioribus, tamquam ex vestigiis, posset erui sincerior lectio. Quod et avidius facturos nonnullos putabamus, quo minus nostrum judicium interposuissemus. Nec vero inficias eo quædam etiamnum restare, in quibus tibi nec judicium nostrum, nec exemplar diligenter alioqui scriptum, suffecerit, ad quæ intelligenda Delio, ne quid aliud dicam, notatore[1] sit opus. Sed cogitabis ejusmodi fuisse suscepti negotii rationem, cui vix ipse Fabius, si jam renascatur, satis sit futurus, tantum sibi permisit quorundam petulantia, in ea quæ non intellexit. Vale, et nos ama. Basileæ, mense Augusto, Anno MDXXIX.

1. *Notatore*. Exhibet Capper. *natatore*, asserens male editum *notatore*. Ed.

IX.

GYSBERTI LONGOLII PRÆFATIO

AD AGRIPPINATEM JUVENTUTEM.

(1534.)

Cogitanti mihi, auditores studiosi, rationem aliquam, qua meum erga scholas has Agrippinates studium pleniore testimonio declararem, nihil mihi ad hanc rem efficacius visum est, quam si ejuscemodi auctoribus enucleandis incumberem, qui præter expolitam et expressam dicendi, et φρόνησις formandæ facultatem (qua quid per Deum immortalem admirabilius?) profunda etiam, castigataque disciplinarum omnium exsuperantia judicium, rationemque ingenii exacuere possent. Igitur pro ingenii nostri modulo, enarratis Livio, Sallustio, Cæsare, et aliis quibusdam illis proxime similibus, quorum scilicet historiæ magis ad rerum insignium cognitionem, et dictionis munditiem, quam judicium literarium, sine quo vanus est omnis noster conatus, comparandum faciunt: ex copiosa latinorum auctorum bibliotheca Fab. Quintilianum rhetorem cum primis luculentum, per meliores instantis anni horas, de sententia judicii nostri (quod quam sit perexiguum facile cognosco) me vobis interpretaturum jam ante denuncio: ne dicar scholæ nostræ consuetudini minus satisfecisse. Nam quum in legendis auctoribus pleraque ad dialecticorum, multa ad rhetorum canonem revocarem et expen-

derem, ne scilicet defunctorie, instar vulgi, officium interpretis obirem, factum est, ut plurimis obscuriora, quam capere illarum artium rudes possent, tradidisse existimer. Ergo ut certam eorum, quæ annotavi hactenus, et posthac (volente eo, cujus nutu omnia reguntur) annotaturus sum, rationem ostendam; en vobis, studiosissimi adolescentes, eloquentissimum et castissimum magistrum Fabium offero: de quo, quia (uno quod aiunt ore) satis pro merito prædicari non potest, præstat omnino tacere, quam pauca dicere. Sed interim ne vos lateat, quid in hac editione præstiterit typographus Gymnicus, homo ut multo diligentissimus, sic ad bona studia promovenda propensus admodum. Primum precibus meis auctorem istum typis mediocribus pressit: quod minuti isti et cedentes auscultationibus parum conveniant, et aciem oculorum mirifice obtundant: grandiores vero magnitudine sua difficilem usibus circumferentium faciant. Præterea doctissimorum quorumque castigationes et annotationes adjiciendas curavit: quod ego quoque facile passus sum: quum plerique docentium ejusmodi lectorem celent, quo videantur, dum ista ipsi usurpant, apud ignaros doctiores: ἀλλὰ ἤδη ἄλις προοιμίων. Valete, e gymnasio nostro kalendas Martio, anno MDXXXIV.

X.

PETRI GALLANDII PRÆFATIO

AD ENGUILBERTUM AB HISPANIA ABBATEM. (1538.)

Quum anno superiore, Quintilianum enarrans, argumenta quædam singulorum capitum summam breviter complectentia, ante lectionis initium dictare cœpissem, auditores iis ita delectari solitos animadverti, ut omnia diligenter atque avide exciperent: et ut idem post quinque priores absolutos, in reliquos libros præstarem, atque omnia simul ederem, quotidiano prope convicio efflagitarent. Quod etsi fucis quibusdam, apibus admirabilem conficiendi mellis industriam perpetuo invidentibus, parum probatum iri sciebam, qui domi sibi sapientes, foris vero nemini commodantes, hac ratione bonos auctores contaminari clamitant: quia tamen hac facilitatis velut illecebra studiosos adolescentes ad gravium auctorum lectionem invitari, et Quintiliani sententiam scepticam interdum aut sinuosam certiorem apertioremque fore cognoscebam, non diutius honestissimæ illorum flagitationi repugnandum judicavi. Idque eo feci lubentius, quod Erasmum, litterarum decus, ut alios multos prætermittam, hoc commentariorum genere, ad Ciceronis Officiorum lectionem nobis aditum fecisse recordabar: quodque nostri seculi adolescentes, fastiditis gravioris notæ auctoribus, fœdissimos quosdam et

ineptissimos libellos manibus terere, hoc est, relictis fontibus, rivulos et lacunas consectari videbam. Quos quum ab optimo quoque incipere, et in eo diu multumque versari, quoad comparatum sit judicium, et extra periculum positum, par est: ita ab hujusmodi libellis, nervis et sanguine carentibus esse primis annis remotissimos oportebat. Nam ut non facile primum colorem, quo simplex vellerum candor tingitur, eluas; nec cito succum, quem recens testa combibit, absterseris: ita vix unquam in bonum mutaveris vitia, quæ tenellis ingeniis primum insederunt. Et quemadmodum præcoces crudique fructus, necdum justo calore solis excocti, stomachos hominum debilitant, et pravorum humorum copiam suppeditantes, varios in corporibus humanis morbos gignunt: ita fieri nequit quin ex numerosa libellorum sobole, qui hodie primo cogitationis impetu, tamquam e satis Cadmi serpentis dentibus novi prodeunt, multa vitia ad incautos adolescentes perveniant. Hinc enim fit ut, quum iis lectitandis, qui nullo judicio inventis adhibito, nullo collocationis ordine, nullo verborum sententiarumque delectu scripti sunt, bonam adolescentiæ partem transmiserint, pro solide doctis et eloquentibus, affectationis pravæ vitio tumidi, inani verborum licentia resultantes, flosculis cito marcescentibus nitentes, inanibus sententiolis lascivientes, tinnuli, corruptive, ut alia dicendi vitia taceam, reddantur. Quanto igitur præstiterit, in veteribus sani et recocti judicii scriptoribus felices illos adolescentiæ annos collocare? ex quibus verba sensu tincta, sententiarum pondus et gravitas, æqui et iniqui perfecta cognitio, solida dicendi vis, non circulatoria volubilitas, acumen, nervi, subtilitasque probandi, non fallax et cavillatoria ratio, suppetent. Quæ omnia etsi unius Ciceronis, viri extra communem ingeniorum aleam positi, lectio præstare potest, quia tamen consularis et in eloquentia eminentissimi viri majestate servata satis habuit

breviter, ea præsertim quæ ad dicendi doctrinam pertinent, perstringere, et velut annotare inter agnoscentes, recte Quintilianus, qui eadem omnia multo latius fusa, non scientibus tantum, verum etiam discentibus tradidisse videtur, a doctissimis in hac civitate præceptoribus juventuti proponitur, inculcatur, et nutricum more veluti cibus præmansus in os inseritur. Ad quem amplectendum sequendumque, ut quasi classicum canentes, studiosos cohortaremur, argumenta nostra nobis extorqueri, et singulis librorum capitibus præfigi passi sumus. Nam ut separatim excuderentur, ne nobis quod in aliis accusavimus contingeret, ut optimo auctore relicto, nostris næniis per ignaviam insenescerent, nunquam tulissemus. Atque ut memoriæ debilitati subsidio esse, et obscuris lucem aliquam afferre possemus, annotatiunculas quasdam ubique marginibus adscripsimus, animadversione digna pleraque notulis quibusdam ad latus insignivimus; veterum exemplarium fidem et rerum veritatem sequuti, quædam aliter quam exemplaria vulgo habebant, distinximus. Aliqua etiam depravata, exemplaribus vetustis, et virorum doctissimorum judicio freti restituimus: membra quoque singulorum capitum novum aliquid aut a præcedentibus diversum continentia, signis majoribus separavimus. Quod opus tibi, Antistes ornatissime, dicamus: tum quia majorum tuorum vestigia sequendo, eximio virtutis et litterarum amore flagras: cujus rei, quum istic ludo litterario majori præfectus essem, significationem maximam mihi sæpe præbuisti præbesque omnibus, quotidie amplissimos atque doctissimos homines tibi adjungendo: inter quos Claromariscus Abbas, incredibili vir virtute doctrinaque et humanitate prope singulari, facile principem locum obtinet: tum quod omnis illa regio, in qua tua ditio latissime patet, tuis auspiciis sua studia rectius conformare, et rejectis insulsorum grammatistarum, quæ apud vos magis atque magis in dies

caput exserunt, nugis, gravissimos auctores manibus versare consuescet. Ac ne quis importunus et rerum malus æstimator, clamitet ineptum esse me, qui librum prophanum homini ecclesiastico et religioni addicto dedicem, Quintilianum non minus ad bonos mores et virtutem, quam ad bene dicendum ingenia formantem, nemini profanum videri oportere dico. Nam quis unquam de æquo et bono, de honestate, sine quibus nunquam fieri oratorem posse putat, accuratius disseruit? Quis pertinacius sacrum oratoris nomen quantumvis diserto non convenire, si mentem habeat variis vitiorum affectibus concisam atque laceratam, contendit? Porro quum omnis illa fori Romani ratio exoleverit, totaque dicendi doctrina ad sacros concionatores fere translata sit, qui populum docent, delectant et magnis affectibus ad religionem excitant, cui hæc nostra industria rectius dicari poterat, quam ei, qui multis ecclesiis, ludis litterariis, et collegiis præest? Quam nomini tuo appensam, si eo animo, quo a nobis offertur, acceperis, præsul amplissime, ad commentarios in omnes ejusdem auctoris libros, quos jamdiu parturimus, edendos aliquando animum feceris, et ad amplectenda meliorum litterarum studia, juventutem non vulgariter cohortabere. Vale. Parisiis, nonis octobribus.

XI.

PETRI GALLANDII

PRÆFATIO ALTERA

AD D. PETRUM CASTELLANUM

Tutelensium episcopum. (1538.)

Sæpenumero mirari soleo, Antistes ornatissime, cur in tanta præclarorum ingeniorum multitudine, tanta bonorum auctorum luce, qui quotidie novo splendore prodeunt, tam pauci quum in cæteris artibus summis, tum præcipue in eloquentia, admirabiles existant. Ac possit aliquis jure quodammodo in aliis reconditioribus disciplinis linguæ græcæ ignorantiam prætexere, quum ad hanc diem latina fere sola nobis in usu fuerit, et qui disciplinas eas tradere sunt aggressi, tam procul a vera Græcorum methodo abfuerint, ut nulla eos propinquitate contingere videantur. Nam et plurima aliena fide miscendo Plinius, centones interjecisse, et de medicina loquens Celsus, latine quidem, temere tamen multa pronunciasse, et quod ait Persius, corvos passim sequutus dici potest: et hoc præstare philosophis Seneca, quod vitia strenue et stoice insectetur. Porro Ciceronem constat in eo genere ad Platonis æmulationem per dialogos philosophiæ frusta quædam ab aliis tractata concinnasse ad pompam potius et splendorem, quam ulla methodi commoditate institisse. Eloquentiam

vero, rerum, ut Euripides ait, reginam, a nobis in hodiernum diem turpiter neglectam, quo ore excusabimus? Ea enim non poetis et historicis modo, quibus Græcis pares esse facile possumus, verum etiam Ciceronis immortalibus orationibus, et ad eam via perveniendi ejusdem et Quintiliani præceptionibus certissima, tam ad vivum expressa est, ut non æquatam hac parte Græciam solum, verum etiam longissimo intervallo superatam existimem. Nam quum tenui, medio, et sublimi, tribus dicendi generibus, quæ nobis docere, delectare, movere, tria oratoris officia referunt, universa contineatur eloquentia; iis ita omnibus ubertim effloruit Cicero, ut non modo qui in horum singulis excelluerunt apud Græcos plurimi, verum etiam Demosthenem ipsum, cui hæc laus uni tamquam principi tribuitur, facile præcipuis in eloquentia rebus anteverterit. Nam ut cum eo Demosthenes docendi diligentia, atque omni inveniendi acumine paria fecerit, ornatu tamen et salibus, commotionisque et commiserationis vehementia cedat necesse est. Jam vero de præceptis viam ad eloquentiam communientibus si sermo instituatur, quis Græcorum de Rhetorica libros magna superstitione atque ambitione ad ingenii ostentationem comparatos, cum Ciceronis et Quintiliani politissimis scriptis, quæ nihil supervacui, nihil impediti, nihil non ad artem pertinentis complectuntur, comparaverit? Et sane pervulgata quædam rhetorum præcepta negligens prætermiserit aut breviter perstrinxerit Cicero, viri consularis et in eloquentia eminentissimi servata dignitate: quid in Quintiliano, vivo quodam præceptionum omnis generis exundante gurgite, quod vel ad mores, vel ad docentis discentisque, utilitatem pertineat, desiderare possis? Quo magis Ciceronis quibusdam simiis, nihil ejus præter umbram et larvam habentibus, infensus sum, qui Quintilianum prolixum, et nullo certo docentem ordine clamitantes, de manibus studiosorum excutere

meditantur. Cujus mentem, et susceptam a principio ad finem instituendi rationem, si intentis oculis acrius intueantur, facile obstinatum in prava sententia animum mutaverint. Tanta enim facundia, diligentia, dexteritate, industria ab imis fundamentis ad summa fastigia partibus omnibus expressam hanc eloquentiæ architecturam comperient, ut pravis affectibus depositis, facile confessuri sint, nihil in eo genere ne mente quidem et cogitatione perfectius concipi posse. Tradiderunt rhetorica varii, quum Latini, tum Græci: quorum quum alii tamquam neglectis carceribus metam solam spectarent, elementa, et omnium disciplinarum studia, sine quibus eloquentiæ corpus nullo modo coalescere potest, prætermiserunt. Alii ex difficultate inusitata, nominis et famæ cupiditate, his flexibus et mæandris rhetorica implicuerunt, ut et Dædali juxta poetas labyrintho te facilius, quam e sinuosis eorum divisionibus explicare queas. Alii ea sermonis inopia et paupertate eadem tradere sunt aggressi, ut non modo non inflammarent ad eloquentiæ studium bene dicendi cupidos, verumetiam deterrerent. Plerique vero quum linguæ atque animi divortium facerent, tam sunt subtiliter de rebus iisdem nugati, ut de moribus, officio, et omni virtutum usu non aliter conticuerint, quam si ea ab oratoris professione alienissima fuissent. Ac Fabius quum fastigia non posse consistere, nisi bene jactis fundamentis judicaret, ad ipsam pueri statim nati balbutientem infantiam, et minima quæque, sine quibus majoribus locus esse nequit, demittere sese non recusavit. A nutricibus enim æqualibus, pædagogisque sanctis juxta ac disertis incipiens, quum puerum tamquam gremio fovendum suscepisset, ad præceptorem in schola publica præstantissimum, qui non acerbus studiorum exactor sit, sed per lusum et jucundam æmulationem assiduus magis quam vehemens excitator, deducit. Legere, scribere, pronunciare singulari artificio docet:

exercitatione optima et gravissima paulatim ediscendi, memoriam firmat. Ipsius etiam præceptoris officia persequens, ut illi discipuli ingenium explorandum sit, ut ad ejus naturam seipsum accommodare, optimis animum imbuere, mores suos austeritate et comitate temperare, ut alias omnes disciplinas ordine ante rhetorica tradere (quod utinam nostris temporibus negligi, jure queri non possimus) ut professionum discrimen facere, auctorumque delectum habere debeat, gravissime præcipit. Hinc rhetorices progymnasmatibus breviter tactis, summa ejusdem capita oratione locupletissima discutit, de ipsius utilitate, materia, simul et divisione, totoque genere et substantia. His accedunt ex libro tertio statim scitu perquam necessariæ quæstiones de rhetorices origine et initio, progressu, perfectione, partibus, statibus, quæstionum et causarum generibus, in quibus inventionis et dispositionis fontes aperiuntur, et hæc quidem tribus primis libris. Quatuor autem sequentibus in partibus orationis, ordine quodam doctrinæ faciliori, inventionis et dispositionis usum ostendit. Et quamvis dispositionem conjunctam esse velit cum inventione, quam duplicem facit, unam quæ ad docendum, alteram quæ ad affectus movendos pertineat: illam tamen peculiariter libro septimo describit, ubi quotuplex sit, quid sit, quanta sit ejus utilitas, primum in universum, deinde in singulis causarum generibus et statibus prudentissime docet. Elocutionem autem, quod et difficillima et in immensum effusa sit, cui memoriam et pronunciationem annectit, ad peculiarem tractationem in quatuor libros sequentes rejicit. Quibus quum quidquid de arte dici potest abunde edisseruisset, quumque ad partes divisionis libro secundo factæ, de artifice, arte, et opere respiceret, ultimo libro qui mores ipsius oratoris, quæ causas suscipiendi, discendi agendique ratio, finisque, et quæ post finem studia esse debeant, magna cum dignitate

præscribit. Et ne parum alere facundiam et augere vires eloquentiæ posset, si aliorum more præcepta sterilia et nuda traderet, sine ulla subtilitatis affectatione, quæ robur omne naturæ et virtutem artium debilitare concidendo solet, bonos medicos, qui quum absynthium propinant, prælito melle poculo fallunt, imitatus est. Ea enim tanto verborum ornatu velut ossa carne operuit, et sententiarum interjectarum gravitate tamquam nervosis toris adstrinxit, tanta sermonis copia, quæ a Cicerone brevitate constricta, rudioribus obscura esse poterant, late persequendo explanavit, ut luce clariora omnia, omnia admirabilia, jucunda, amabiliaque juvenibus reddiderit. Quem si quis objiciat non esse structuræ artificio, compositionisque concinnitate et numeris Ciceroni similem, respondebo, non propterea disertum et eloquentem non esse. An idcirco non habet orationem, quantum in hac præceptorum traditione fieri potest, numerosam? Quænam rerum natura est, quæ in eodem genere non habeat complura dissimilia, consimili tamen laude digna. Id nos docent innumerabiles, quas auribus atque oculis colligimus, voluptates, quæ diversæ nostros tamen sensus ita delectant, ut difficillimum sit judicare a qua maxime afficiantur. Quid Cæsar proprie eleganterque dicere contentus, Plinius, Suetonius, Titus Livius, in quo Pollio patavinitatem notavit, Ciceroni dissimillimi, an propterea non legendi, non in diverso genere suscipiendi? Quamquam in his Institutionibus oratoriis, in quibus oratione perpetua uti non potest, minus id a Fabio requirendum erat, quam in ejus Orationibus aut Declamationibus: quæ si exstarent hodie earum loco, quæ suppositiæ Quintiliani nomine circumferuntur, quamplurimas virtutes Tullianis proximas in his fortasse animadverteremus. Atque ut quod sentio, exemplo plane familiari patefaciam, tantum utilitatis afferre eloquentiæ studiosis post Ciceronem mihi

Fabius videtur, quantum medicinam tractantibus post Hippocratem Galenus. Ne igitur eum, qui tot res tam dissipatas et genere distantes, vinculo tamen naturæ quodam inter se colligatas, nec aliter ad eum, quem quærimus, perficiendum, quam flores et succos diversorum generum ad mellis suavissimum saporem, necessarias in unum tanto facilitatis studio congesserit, perfricta fronte tamquam confusum aut prolixum vituperemus: neque præstantissimorum auctorum, quos omnino duos in hoc genere habemus, perniciosum divortium admittamus: nec vero si nobis terra in Italiam via pateat, mare ad magnas merces importandas accommodatius intercludamus. Sed ut ad id unde digressa est, nostra revertatur oratio, hanc ego fastidiosam et insolentem quorumdam censuram, qui pro Cicerone non aliter umbram ejus, quam apud poetas pro Junone nubem Ixion, amplectuntur, inter cæteras causam statuo, cur tam pauci hodie vere eloquentes evadant; et Ciceronis amore inflammati, cutem summam atque extima quædam lineamenta, non animum aut spiritum assequantur. Ac quum me animo et cogitatione ad exquirendas hujus eloquentium penuriæ causas attentius converto, longe maximam eloquentiæ pestem afferre mihi videtur, qui pro gravioris notæ auctoribus ineptissimos libellos (qui quotidie primo cogitationis impetu, tamquam e satis Cadmi serpentis dentibus emergunt) imperitæ juventuti obtrudunt. Quum enim gravium auctorum sententia idem esse in animorum affectionibus atque saporibus coloribusque constet, ut quemadmodum quo primum colore simplex vellerum candor tingitur, elui, quem liquorem testa recens combiberit, abstergi non possit; sic quæ tenellis animis primum insederunt, vitiosa præsertim, vix inquam mutari contingat: a prodigiosis ejusmodi libellis par erat adolescentes esse primis annis remotissimos, et Ciceroni Quintilianoque, qui acuere et alere in-

genia possunt, addictissimos. In hos itaque rei litterariæ scopulos quum semel incurrerunt nullo judicio præditi adolescentes, vel quum voluptatum studio laborem detrectant, vel ad quæstuosas artes præpropere festinant, facile, tamquam naufragio studiorum omnium facto, eloquentiæ et sapientiæ curam abjiciunt; non alia quidem dementia, quam qui rivulis aut potius turbidis lacunis contenti, limpidissimos fontes, et pleno torrentes alveo fluvios aspernantur. Quid aliud his, qui ante tempus a gravium auctorum monumentis abducuntur, contingere putandum est, quam spuriis ejectis, qui certæ nutricis uberum beneficio privati, nunquam virile corporis robur colligunt? Qui poterunt avaritia atque ambitione, quasi abortu quodam, ad honores et sordidam advocationum stipem præmature abrepti, sibi utiles, aut patriæ cives salutares esse? Nulla severiore disciplina in tuto collocatis moribus, nulla subnixi bonarum artium scientia, effræni vitæ licentia, et falsæ doctrinæ persuasione tumentes, quum se ad gubernacula reipublicæ tractanda evehi vident, quid non sibi licere autumant? quam insolescunt? in quæ flagitia sese non ingurgitant? quid fœditate inscitiæ suæ veluti Harpyiæ Virgilianæ immundo contactu, non contaminant? Quid discordiis non committunt, et in rem privatam convertunt? Quem non virum bonum religionis aut æquitatis assimulatæ specie opprimere conantur? Itaque pro pacificatoribus, discordiarum flabella; pro religionis et legum assertoribus, proditores et perniciosissima busta: pro civibus honestis, utilibus et salutaribus, probra, pestes et funera sunt reipublicæ. Quis bene natus non indignissime ferat, sacrorum concionatorum ex horum auctorum contemptu fœdam inscitiam? qui quum ex sophistarum et barbarorum hominum tenebris prodigiosa quadam rerum et verborum farragine sint instructi, nec populum docent veram de religione persuasionem, et

spinis quibusdam omnia exasperantes, nullis dictionis aut sententiarum ornamentis delectant, nec majoribus affectibus ad veram pietatem inflammant. Quibus eo minus ignoscendum esse puto, quod omnibus fere curiis et judiciis exclusa hodie vetus illa fori romani dicendi facultas, apud hos solos locum habere videatur; quodque ipsi in his rebus versentur, quæ nullum ornamentorum, amplificationum, aut locorum communium genus respuant. Hæc ad te doctissimum hominem, pro tua prudentia atque dignitate occupationumque magnitudine nimis fortasse multa, pro rei vero necessitate pauca admodum, scribenda duxi: non ut Quintiliano satis ex sese judiciis sanis commendato, aliquam oratione nostra commendationem conciliarem, verum ut quid tu de restituenda perturbata disciplina vetere, et certo tradendarum artium constituendo ordine, non ita pridem sensisses, tibi in memoriam revocarem. Memineram enim, te ante annum regis sapientissimi, humanissimi, atque omnium litterarum studiosissimi jussu id non animo solum agitasse, ac usurpasse sermonibus, verum etiam scriptis acutissimis mandavisse, et vehementer ei placuisse primam descriptionem tuam. Quumque auctoritate et gratia tantum hodie apud illum dicendi cupidissimum, quantum mortalium nemo, valeas, sisque reconditarum omnium artium cognitione, atque insuper incomparabili eloquentia clarissimus, facile rectam viam, qua ad eam perveniendum sit, tuis auspiciis aliis indicari et præscribi, et loco motam perturbatamque veterem instituendi rationem in gradum et pristinam dignitatem reponi posse speravimus. Quam ad rem egregie stabiliendam quam esset optandum a regia providentia et potestate, ut critici pravis affectibus exsuti, et disciplinis omnibus non leviter tincti deligerentur, qui, ne statim cum nutricis lacte errorem sugere possemus, constitutam cum ratione formam retinerent, et ne in posterum libel-

lorum novorum perversitate depravari, exstinctis naturæ igniculis, possent inconsiderati juvenes, providerent. Nam quos adhuc experti sumus ficulnos plane censores, qui frugibus glandem anteponunt, et de litteris non aliter quam de coloribus cæci judicant, quis aliquo judicio præditus diutius ferat? Hæc me vehemens juvandæ rei litterariæ cura studiumque impulit, ut ad te scriberem; et ut simul opus ipsum nostra imdustria illustratum mitterem, insignis cupiditas tibi significandi, quantum laboris in eo vetusta cum novis exemplaria conferendo, cum doctis viris communicando, animadversione digna notando, obscura explicando, depravata reponendo et corrigendo, exhausissemus. Nam quum omnes docti certatim tibi, velut Apollini Musarum choro præsidenti, non quantum merere hac eruditione et moribus, verum quantum possunt, deferant, multis ego beneficiis nec iis vulgaribus a te affectus, ingratissimus sim omnium mortalium, nisi aliquo ingenii monumento, quanti te faciam, quantumque tibi litteræ debeant, apud omnes testatum relinquam. Vale. Parisiis e gymnasio nostro Becodiano.

XII.

EDMUNDI GIBSONIS PRÆFATIO.

(1693.)

De ulla parte literarum bene mereri, ita magnum est, ut nihil possit præclarius cogitari. Ea est enim disciplinarum dignitas, ut non solum ipsæ nativo lumine resplendeant,

sed quadam pulchritudinis abundantia, admirabili fulgore suos cultores irradient. An vero laude majore digni, qui resarciunt antiquorum scripta, mutila ac depravata; an ii qui de suo nonnihil in lucem proferunt, video inter multos controversiam fecisse? Sunt enim, qui suis omnibus tam immoderate indulgent, ut suo fertili scilicet sublimique ingenio indignum omnino existiment, scriptis alienis operam impendere. Qua opinione provecti, totam protinus curam ad scribendi studium convertunt; tum demum se litteris profecisse arbitrati, quum sui cerebri fœtum viris litteratis tradiderunt. Illorum ego sententiæ accedam, si prius mihi constiterit, recentiorum hominum scripta esse antiquis illis, sive dispositionis decore, sive sermonis elegantia, sive cogitationum sublimitate comparanda. Pristina illa scientiæ et eruditionis vena ita penitus præciditur, ut neque ad nostram ætatem duci possit, neque eam capere nostræ ætatis conditio videatur. Ut enim de Romanis dicam, illis sese ultro latinus sermo perhibuit; Græcum mediocri industria perceperunt; quod tempus reliquum fuit, id fere lucubrationibus dederunt. Nos vero infinita linguarum varietate obruimur, longaque rerum gestarum serie detinemur; quarum studio efficitur, ut exiguum vitæ spatium ad cogitandum supersit. Adeo felicissimus ille et multo doctissimus, quisquis ea, quæ antiqui illi et senserunt et fecerunt, optime percepit. Quum autem ex verbis fractis et oratione corrupta nihil magnopere sine summa difficultate elicitur, reliquum est, ut illis aliqua gratia debeatur, qui in sanandis veterum reliquiis suam operam posuerunt. Quæ quum dico, nollem intelligi, quasi perniciosum illud genus emendationum probarem, quo nonnulli homines politissimum quemque scriptorem contaminant. Libris nimirum paulo diligentius perlectis, perpensoque colore ac ductu orationis, aliquid ex suo ingenio promunt, quo fœdissimæ lacunæ suppleantur; adeoque,

(id quod non erubescunt jactare) auctores nativæ puritati restituantur. Castigationes eo equidem magis perniciosæ, quod fere specie quadam elegantiæ indutæ, omni suspicione carent, facileque fidem lectionum sanissimarum consequuntur. Hoc qui faciunt, eadem peritia præclarissima poliunt monumenta, qua medici minus solertes vulnera deligant. Utriusque idem consilium; ut tenera quadam cute et speciosa cicatrice putido corruptoque vulneri obducta, corpora sanitatem ostentent; parum interim de sincera valetudine solliciti. Utinam illi, homines dicam an pestes litterarum? aliquando cogitarent, non id esse scripta polire, ea elegantiora, nitidiora, et comptiora facere, quam fecerunt sui auctores; sed, abjectis glossematis, deprehensis librariorum erroribus, ipsa scriptorum verba atque orationem eruere. Quod si quis suo ingenio aut conjecturis assequi se posse speraverit, nec ille non est longe ab insania remotus. Horum hominum manus temerariæ ut optimos quosque auctores profanarunt, ita, si *Joanni Sichardo* credimus, *Quintilianum* maxime. « Quæ res, in« quit, quum cæteris fere omnibus, tum ipsi maxime Fabio « obfuit; ut commemorare pigeat, quam subinde aliis atque « aliis mendis, sciolorum quorundam vitio, veluti vulneri« bus affectus sit, etc. » Grave equidem crimen, et severa reprehensione dignissimum. Inde enim onus recensendi libros augetur maxime; quod ad intolerabilem illum laborem errores apertos emendandi, accessit diligentia a falso fucato verum distinguendi. Utrique proposito impar est et inutile cujusvis ingenii acumen: id vero nisi intra justos limites coerceatur, etiam maxime nocet. Unum subsidium, Codicum vetustorum auctoritas: quorum mediocri copia comparata, sperare incœpi, eorum ope, aliqua parte macularum elegantissimum Rhetorem purgari potuisse. Octo impressorum, qui sunt paulo antiquiores, et trium manu scriptorum beneficio, effectum est, quod mihi proposue-

ram. Horum primum ego bibliothecæ Bodleianæ debeo, hæc archiepiscopo Cantuariensi, Gulielmo *Laud*, martyri propter summam constantiam, egregiam pietatem, singularia erga nostram academiam, ecclesiam erga anglicanam merita, nunquam sine maximo cultu et veneratione nominando. Quidquid lucri ex codice MS. Joannensi ad Fabium pervenerit, id omne debetur viris doctissimis D. Humfredo *Gower*, collegii D. Joannis, atque D. Carolo *Roderick*, collegii Regalis, Præfectis; clarissimis Cantabrigiæ luminibus. Hic sua gratia et rogatu effecit, ut ille ad nos Codicem humanissime transmitteret. Iisdem viris acceptum referatur, quod jam tandem in lucem prodiit tribunus Marianus, Declamatio nova, ex libro MS. Collegii D. Joannis edita. An sit illa genuina, an vero supposititia, pronunciare pertinaciter non audeo: sunt enim, quæ utramque partem probabilem faciant. Nitidum orationis filum, spiritusque virilis antiquitatem sapiunt. Fidem vetustatis augere potest, quod eadem manu, qua reliquæ novemdecim, scribitur. Quod autem hæc in calcem codicis istius conjicitur, quod etiam in tribus exemplaribus MSS. quæ Oxonii habemus, nulla illius vestigia deprehenduntur, hæc (fateor) fraudis alicujus suspicionem pariunt. Quidquid autem est, nolui hanc occasionem illud edendi prætermittere. Quumque codices fere manu scripti, librariorum sive inscitia sive incuria, plurimis conspergantur erroribus, iique, quoties codicum multorum præsidia desiderantur, non nisi conjecturis sanantur; optimum fore existimavi, singulas quasque exemplaris litteras typis repræsentare: partim ne meo judicio nimium viderer tribuere; partim ut aliorum opinionibus locus superesset. Atque hoc quidem obiter. Baliolensem codicem nobiscum summa humanitate communicavit eruditus et vigilans illius collegii magister, D. Rogerus *Maunder*. Quum vero eos homines commemoro, quorum fui beneficiis affectus, dissimulare sine summa ingratitu-

dine non possum, quantum huic operi contulit D. Arturus Charlettus, collegii Universatis magister. Vir ille ad ingenia juvenum sustentanda natus, pro affectu suo singulari tum erga bonas litteras, tum erga eos omnes, qui sunt ad disciplinarum studia paulo procliviores, mihi, nullius gratiæ homini, aditum ad codices liberrimum sua auctoritate patefecit. Conquisitis codicibus, cum editione, quæ Lugduni Batavorum prodiit, omnes comparandos existimavi, tum quod eam, ultima quum sit, merito præstantissimam duxi, tum etiam quod in hominum manibus omnium plurimum versaretur. Hujus oneris parte aliqua me hominum nonnullorum opera liberavit, quorum diligentiæ illius curam tuto committi posse arbitrabar. In collationibus quantum esset fructus primo statim intuitu perspexi: nec sine summa voluptate observavi, ut eorum beneficio dubia confirmarentur, corrupta plurima tollerentur, et speciosioribus nonnullis suspicio injiceretur. Utinam mihi per ætatis imbecillitatem licuisset, meum in quibusdam judicium interponere. Hoc autem in illud tempus differo, quum majore litterarum usu roboratus, quidquid sentio, id possum proferre et liberius et verecundius. Interim, ne præpostera quadam uterer diligentia, textum hunc auctoritate codicum dispositum, mihi quasi futuri operis fundamentum jeci; omnia mea in hoc genere studia ad ornatum et illustrationem Fabii conversurus. Nec enim ego, quum hac parte disciplinarum maxime delector, quemquam possum reperire, qui sit Fabio cura dignior aut diligentia. Ejus vitæ commentarios paulatim etiam colligerem, nisi post celeberrimum Dodwellum in ea materia quidquam moliri, impudentissimum foret. Confectos apud se habet Annales Quintiliani: ex acri autem illius erga optimas litteras amore, existimari potest, non commissurum eum, ut hoc diu beneficio careant eruditi. Habes, lector, quæ te nollem nescire. Vale.

XIII.

ULRICI OBRECHTI PRÆFATIO

AD

VIRUM CLARISSIMUM EDMUNDUM GIBSON.

(1698.)

QUANTO favore passim excepta sit, quam conferendis Quintiliani codicibus non ita pridem operam impendisti, publicus ad te, vir clarissime, applausus detulerit, mihi in fronte hujus editionis dissimulandum non fuit, si quid ea rei litterariæ bono præstitum est, id omne in tuæ diligentiæ sive proventu sive fructu esse computandum. Dudum est, quod omnia, quæ Quintiliani nomen præferunt, imprimis vero Institutiones hasce Oratorias innumeris vulneribus, et fœdioribus etiam cicatricibus deformatas, adeoque virum felicissimorum alias studiorum, hac tamen parte voto suo frustratum esse, cognovi, *ut quos emitteret, libri in manus hominum quam emendatissimi venirent.* Sed consumptis in priores editiones præcipuarum bibliothecarum præsidiis, malum remedio majus, neque ulteriori curæ locum esse arbitrabar, quum huc ad nos, licet ob interrupta pacis commercia serius, advectæ, quas operi utilissimo, reseratis Angliæ thesauris, denuo suppetias tulisti, et melioris me spei, et subinde novi consilii fiducia impleverunt. Etenim ex quo diversas ab editis lectiones

inspexi, quas e Bodleiano præcipue, sed et cæteris manu exaratis codicibus excerptas textui subjecisti; sic in animum induxi, ut prorsus existimem, nullum deinceps in Quintiliani libris mendum pro immedicabili habendum, si tuo exemplo excitati, quibus vetustorum forte adhuc exemplarium usus vel copia suppetit, ad hoc operas suas pari fide atque diligentia conferant, ut de earum deinceps varietate penitus constet. Neque de scriptura saltem loquor bonæ aut probabilis notæ: vulnera ut sanari se patiantur, cruda sunt tractanda, et callus, quod obductis male cicatricibus fieri solet, ad vivum resecandus. E corruptis certe locis nullos felicius correxerit, qui arte et judicio valet, quam qui et a librariis imperitissime scripti et ab emendatoribus pro desperatissimis abjecti sunt. Id infinitis experimentis olim hodieque compertum, dubio plane eximet hæc ipsa, qua superioribus aliquot mensibus graviores reipublicæ curas distinguere visum est, operum quæ Quintiliano tribuuntur, recensio; quum emendationum quæ, vel textui adhibitæ, vel notis peculiari volumine, quod præcipuos insuper eruditiorum virorum commentarios complectetur, propediem repræsentandis reservatæ sunt, fontes recludentur. Ad quod ut symbolas, quas possunt, conferant, quotquot genuinæ eloquentiæ; quid eloquentiam dico? quotquot veræ sapientiæ favent, si ego hortator non sim, politissimi operis, uti spero, pretium invitabit. Nos, quod unum nostræ facultatis est, merita quemque laude suo loco mactabimus, qui vel hactenus, vel in posterum laboris huc aliquid opisve contulerit. Ad te vero, vir clarissime, omnis quæcunque publice futura est navatæ operæ gratia redundabit: nisi enim tu novæ industriæ tam eximium sive specimen, sive instrumentum præbuisses, hujus certe editionis nemini cuiquam gratia deberetur.

XIV.

CAROLI ROLLINI PRÆFATIO.

(1715.)

Ex omnibus antiquis scriptoribus, qui magis quam Fabius prodesse juventuti possit, vel ad excolenda præstantissimis eloquentiæ præceptis ingenia, vel ad formandos optimis morum institutis animos, neminem prorsus, nisi me forte amor suscepti operis fallit, reperiri posse arbitror.

Atque ut ab arte dicendi, de qua potissimum hic agitur, initium ducam, fateor equidem scriptis ab Aristotele de Rhetorica libris nihil esse in hoc genere perfectius. Sic mentis humanæ sensus intimos reserat felix naturæ indagator, sic occultos illos meatus, quibus ad animum victrix penetrat oratio, pandit et explicat, ut quicunque assidue versatus in ejus libris fuerit, huic omnia penitus eloquentiæ arcana patere videantur. Sed præterquam quod græci sermonis obscuritas et insolentia plerosque arcet ab aditu præclari operis, rerum ipsarum difficultas, et illa præcipiendi ratio paulo abstrusior, summam animi prudentiam judiicique maturitatem postulant, quæ nonnisi in magistris doctissimis occurrit, nedum ab imperitis adolescentibus exigi debeat.

Magis obvius, et ut ita dicam tractabilis, et tenellæ ætati longe accommodatior videtur Tullius. Nitida, facilis, et compta ejus oratio. Non ille, ut e vili rhetorum officina tetricus dicendi magister, præcepta quædam vulgaria et

contrita tradit sermone agresti atque horrido: sed, ut homo politus et elegans, veterique illa urbanitate limatus, omnia sale suo, et lepore, et suavissimis facetiis sic aspergit, ut quamquam in libris quos de rhetorica scripsit, nihil sit omissum, quod ad eloquentiam pertineat, passimque in iisdem pelluceat collecta ex omni flore antiquitatis et cognitione artium præstans eruditio, tamen totus ille sermo similior videatur jucundissimi inter confabulantes amicos colloquii, quam gravissimæ inter homines eruditos disputationis. At ipsa illa varietas dialogorum, quæ mire a tædio et satietate defendit orationem, nonnihil interdum obscuritatis parit, ut difficile sit, præsertim pueris, inter varias ac sæpe diversas disputantium opiniones deprehendere, quæ sit vera Tullii sententia. Sparsa insuper huc et illuc præcepta, nec in certum digesta ordinem, vix possunt in justum quoddam rhetoricæ corpus coalescere, atque adeo prorsus ab usu et consuetudine scholarum abhorrent.

Fabius sic caret omnibus hisce incommodis, ut neutrius tamen virtutes desideret. Aristotelicam subtilitatem sic Tullianæ elegantiæ floribus distinguit, ut et juventutem detinere suaviter, et exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.

Ac præcepta quidem ipsa si consideremus, nemo unquam artis rhetoricæ vim omnem sic expressit, sic oratorem complexus est universum. Hunc ille ab ipsis incunabulis ad ultimam usque senectutem ita deducit, nullam ut ejus vitæ partem carere optimis documentis sinat. Ubique mirus ordo rerum, mira series et concinnitas. Sic pleraque inter se connexa et apta, ut aliud ex alio nascatur ac pendeat, nec a proposito quidquam aberret. Clare ac dilucide, quæ præcipua dos et virtus docentis, proponit omnia de quibus dicturus est, et in suas quidque partes accurate distribuit, cautus tamen vitare diligenter vitium illud con-

cisæ nimium et velut articulosæ partitionis, quæ nimia subtilitatis affectatione in eamdem illam obscuritatem recidit, contra quam reperta est.

Quamquam non tam præcepta ipsa apud Fabium attendenda censeo, quæ illi cum cæteris rhetorum communia sunt, quam sparsas per totum opus dijùdicandi regulas, ad quas si adolescentes animum dirigant, optimis statim sanæ eloquentiæ elementis imbuantur. Quot enim sint partes vel rhetoricæ, vel orationis; quo tropi distent a figuris; quæ sit teres, et ut aiunt, quadrata periodus, et alia ejusmodi plurima non sane multum ad summam eloquentiæ conferunt : quæ ut ignorare forsitan magistris turpe sit, ita scire non adeo præclarum. At nosse quo quidque eorum præstari modo possit; quando palam et aperte aggrediendus judicis animus, quando furtim et quasi per cuniculos subeundus; ubi ostentandæ opes eloquentiæ, et explicanda omnis verborum ac sententiarum magnificentia; ubi adhibendus simplex et verecundus, qualis plerumque timidam veritatem decet, orationis candor; quem stylum postulet argumentorum pugnacitas, quem vis aut lenitas affectuum; salibus ac jocis, an viribus et gravitate utendum; denique aspere, an leniter; abundanter, an presse; magnifice, an subtiliter dicendum sit; hoc ad eloquentiam maximi momenti est : hoc egregie Fabius docet.

Nec prudentissimi tantum rhetoris partes agit, sed etiam facundissimi oratoris. Expertus nimirum longo usu hoc inprimis curandum esse doctoribus, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, et satiari velut quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur; nudasque illas et jejunas artes, præterquam quod odium sæpe faciunt studiorum, omnem succum ingenii bibere, nec pueris nocere minus, quam teneris plantis siccum et sine humore ullo solum : admiscuit præceptis suis quantum plurimum potuit nitoris et elegantiæ, ut ipsa jucunditate lectionis

allecti lubentius ea discerent, et voluptate ad studium traherentur. Hinc crebræ illæ similitudines, quæ et lucem et gratiam præceptis non mediocrem afferunt. Hinc delectus ille simul et copia verborum optimorum et acrium sententiarum, quibus tota hæc Rhetorica conspergitur. Hinc denique mira illa figurarum varietas, quæ singulari acumine et quasi sale excitant animum: ita de horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova quædam est illius oratio. Enimvero illa sunt ejusmodi, ut non minus quam ipsa præstantissimorum oratorum lectio, alere facundiam, et vires augere eloquentiæ possint.

At ipsa illa oratorum lectio qui prodesse possit, ubi melius, quam apud Fabium discitur? Hanc studiorum partem, omnium proculdubio maxime frugiferam, et fingendis ad eloquentiam adolescentibus non modo perutilem, sed prorsus necessariam, e schola rhetorum sic tunc pravæ consuetudinis imperiosa lex abegerat, ut illi præceptis tantummodo fusius explicandis, et præparandis ad declamandum juvenibus tempus omne contererent. Ut erat acri judicio Fabius, et utilia præferebat ambitiosis, sentiebat præcipuo studiorum fructu fraudari pueros, quum in omnibus fere minus præcepta valeant, quam experimenta; dolebatque in rebus plerumque frivolis et inanibus operam illis et laborem perdi. Sed, ut vulgo accidit, quamvis ipse aliter sentiret, corroboratæ longo usu et apud omnes receptæ consuetudini cogebatur invitus ac reluctans, velut torrenti cedere.

At in libris suis ut obviam eat huic malo, non contentus monere sæpius hoc diligentiæ genus, quæ in explicandis auctoribus adhibetur, plus collaturum discentibus, quam omnes omnium artes; in illud passim toto opere incumbit, ut demonstret, quæ sit optima legendi auctores et interpretandi ratio. Explicare vim ac proprietatem cujusque vocis; verborum aut sententiarum elegantiam et acumen

annotare, explanare historias, si quæ occurrant; veterum legum ac consuetudinum doctam obscuritatem diligenter ac curiose rimari; hæc quidem omnia minime spernit Fabius, sed multum infra rhetoris officium arbitratur.

Hujus præcipuas partes esse existimat docere discipulos, quæ sit vera et incorrupta eloquentiæ sanitas, in qua naturalis insit, non fucatus nitor; quam sæpe occurrat in orationibus latens consilium, et occulta callidítas; qua arte sensim ac leniter irrepat orator in mentes audientium; qua luce ac brevitate narret; qua vi nervos argumentorum intendat; qua solertia ictus adversarii vel ipse eludat prudenter, vel in eum fortiter retorqueat; quemadmodum dominetur in affectibus, et modo impetu facto irrumpat in animos, modo eosdem tanta jucunditate demulceat, ut ipsa illa quæ extorquet, impetrare eum credas, et judex non rapi videatur, sed ultro sequi.

Crebra et iterata ejusmodi lectione, qua non leviter transcurrunt optimos auctores, sed eos penitus introspiciunt, et quantum virtutis habeant intentis oculis studiose scrutantur, accedit juvenibus limatum, et acre, et intelligens judicium. Assuescunt in legendo nihil omittere, sive quod in inventione, sive quod in elocutione observandum sit: artem orationis intimam, quæ plerumque latet (et vero desineret ars esse, si appareret), sagaciter odorantur: sentiunt, judicio quasi gustu intus admonente, quæ in optimis scriptoribus maxime exstant et eminent, et cur ea excellant. Ipsa etiam, si qua sint, vitia deprehendunt, nec unquam se inani verborum strepitu decipi et vano sententiarum fulgore patiuntur.

Hæc vera esse experientur adolescentes, si orationes Ciceronis legere maluerint, quam in commentariis rhetorum consenescere. Hoc est enim certissimum et præstantissimum præceptorum genus, summi illius viri et in omnibus oratoriis virtutibus eminentissimi diligens observa-

tio. Hunc igitur, auctore Fabio, spectent; hoc sibi proponant exemplum; tuncque se valde profecisse sciant, quum illis Cicero valde placebit.

Atque ego non possum hic non vehementer gratulari Academiæ parisiensi, apud quam multis jam abhinc annis invaluit laudabilis illa consuetudo, quam Fabius tantopere commendat. Personant certatim gymnasia illius omnia erudito strepitu adolescentium in singulis scholis græcos latinosque auctores quam plurimos non minore judicii quam memoriæ laude explanantium. Et vero quem fructum speres a publicis scholis, si per totum anni curriculum liber unus aut alter Virgilii et Livii, aut perbrevis una Ciceronis oratio perlegatur? Qui poterunt adolescentes sibi parare vim et copiam verborum optimorum, unde tamquam e penu et reposito thesauro sumant, quæ ad scribendum necessaria sunt, nisi lectione multa et idonea copiosam sibi supellectilem collegerint? Qui poterunt sibi ipsis induere rectam eloquentiæ formam, nisi assidua meditatione præstantissimi cujusque scriptoris suos imbuerint animos, et inde quasi colorem duxerint? Hujus autem in legendo et judicando solertiæ inter antiquos optimus, immo, pæne dixerim, unicus magister Fabius.

Præcipuum quippe illius in scribendis hisce libris, quantum ex toto opere conjicitur, consilium fuit, ut imbutos jam ac corruptos pravis judiciis suorum animos, magisque ac magis quotidie a recta dicendi via aberrantes, ad meliorem, ut ita dicam, frugem, et ad saniora consilia revocaret.

Ferax eminentium in singulis artibus ingeniorum aurea illa ætas nascentis Augusti, perductam ad summum culmen, quantum quidem humanæ res patiuntur, eloquentiam viderat: Quamlibet varia fuerit illius temporis oratorum velut indoles, diversique orationis vultus, in omnibus tamen eamdem sanitatem eloquentiæ, et quamdam judicii ac voluntatis similitudinem et cognationem agnoscas. In-

erat illis species ac venustas, non adornata cincinnis, aut fuco illita, aut muliebribus quæsita pigmentis; sed qualis ex integra valetudine efflorescit, nativo quodam colore et succo tincta, sanguine et viribus nitens; plena denique masculæ cujusdam et incorruptæ dignitatis.

At paulatim labi visa est, et diffluere, prorsus ab antiquo more et cultu degenerare eloquentia, omnemque illam rectæ et integræ dictionis salubritatem perdere. Qua labe Romanos Seneca præsertim infecit, vir multis quidem virtutibus clarus, facilitate inventionis, ubertate doctrinæ, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia; sed nimium amator ingenii sui, cui utinam temperare quam indulgere maluisset, eoque periculosior, quod nonnisi dulcibus abundat vitiis. Apud eum scatent omnia sententiis: sed densitas earum, ut in satis omnibus fructibusque arborum accidit, sibi obstat invicem; et in tanta copia, quæ est sine delectu, multas necesse est excidere leves, frigidas, ineptas. Quia lucere totam ubique orationem voluit, lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris. Minuti passim corruptique sensiculi; quibus et rerum pondus frangitur, et nimium concisa ac velut soluta subsultat oratio, e singulis non membris, sed frustis collata. Ita nocent apud illum ipsæ præsertim virtutes, ultra modum expetitæ: omnium in eloquentia vitiorum pessimum, quoties ingenium judicio caret, et specie boni fallitur: nam cætera quum vitentur, hoc petitur.

Ut autem sunt prona in deterius hominum ingenia, et pravi dociliora quam recti, mala contagione novum hoc dicendi genus totam illico invasit urbem. Juvenes, spretis veteribus, quos ille diversi nempe sibi conscius generis non destiterat lacessere, ad unius Senecæ imitationem compositi, illiusque præsertim vitiorum amatores, tantum ab illo defluxerunt, quantum ipse ab antiquis descenderat.

Sordere cœpit purus inaffectatæ simplicitatis nitor, et quidquid natura dictasset. Non jam placuit nisi picta, et translucida, et versicolor oratio. Neglecta rerum cura est, ut haberetur ratio verborum, quibus hoc unum tamen attributum a natura officium est, servire sensibus. Flosculis ac sententiolis respersa temere omnia. Quasi lege sancitum fuit ut omnis locus, omnis sensus, in fine sermonis acumine feriret aurem: turpe autem ac prope nefas habitum respirare ullo loco, qui acclamationem non peteret.

Toto opere Fabius corruptum illud et fractum omnibus vitiis dicendi genus revocare ad severiora judicia contendit. Non ille quidem culte et ornate dicentibus inimicum se profitetur, ut satis scripta ejus declarant, omni qua par est gratia et venere nitentia: immo hac in re, ut et in cæteris omnibus, Tullium adolescentibus imitandum proponit, qui quum omnia utilitati, tum partem quamdam delectationi dabat; quum et ipsam se rem agere diceret (agebat autem maxime) litigatoris; nam hoc ipso proderat, quod placebat. Sed præcipit ut ornatus ille sit modestior, materiæ personisque accommodatus, omnique fastu et ostentatione careat: inprimis autem ut nihil agat orator ipsius tantum ornatus gratia, nec unquam speciem orationis ab utilitate causæ sejungat; nam plerosque præsentis cupido laudis a proposito abducit. Non quærunt quæ causæ prosint, sed quæ famam augeant; nec tam fortibus, quam fulgentibus armis curant præliari.

Esto, sibi ipse tunc paulo plus indulgeat orator, quum non ad victoriam, sed ad solum finem laudis et gloriæ tendit. At ubi res agitur, et vera dimicatio est, ultimus sit famæ locus. Causa laudetur potius quam patronus. Cogitet esse hominis improbi, atque etiam prævaricatoris, de plausu magis quam de rei eventu laborare; audeatque se ipse tantisper oblivisci, dum litigatoris salus in tuto sit Quamquam minus cupidis opinionis plus fructus venit, et

spreta in tempore gloria, mox cum fœnore cumulatior redit. Quædam enim non, dum fiunt, laudantur, sed quum facta sunt; nec est orationis vera laus, nisi quum finita est.

Immoror in hac parte diutius; quia et ipse Fabius, cujus, quantum in me est, et sententias et verba ipsa usurpare non vereor, nihil in toto opere fusius ac sæpius tractat; et nostros quoque juvenes præmuniendos censeo adversus hanc labem, quæ nostri etiam temporis nonnullos oratores infecit. Nos enim in omnia vitiorum deliciarumque genera ipsa quoque ratione dicendi defleximus. Atque ut de forensi eloquentia taceam, quæ tamen plus modestiæ et sobrietatis retinuit, quis non miretur ac doleat in sacra etiam pulpita irrupisse hanc dicendi lasciviam et luxuriem, quæ ne profanis quidem oratoribus permittatur? Scio multos esse qui de divinis rebus digne Deo disserant, *magnifice sapientiam tractantes* (Mach. II, 2, 9), nec cauponantes aut *adulterantes verbum Dei.* (Cor. II, 2, 17.) Sed de aliis loquor.

An ejusmodi conciones, ubi vertuntur gravissima rerum æternarum momenta, lætum decet et hilare dicendi genus, quod aut puerilibus sententiolis lasciviat, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis niteat? An quisquam sanæ mentis ferat oratorem, ubi salus aut pernicies audientium agitur, curiose verba aucupantem, in demetiendis syllabis componendisque vocibus occupatum, congerentem studiose antitheta ut aurium voluptati serviat, anxiumque de fama ingenii, et cui esse diserto vacet? Commoveaturne quisquam illius adhortationibus aut increpationibus, quem tumidum, ac sui jactantem, et ambitiosum institorem eloquentiæ in tanto suo et aliorum discrimine videat? Quo fugerit interim ardor ille et impetus animi, quo flagrare ipse et inflammari debet, qui cæteros cupit incendere? Non perdant hæc omnia necessarium de tantis rebus ac periculis agenti, affectus et solicitudinis colorem?

Contingit multis concionatoribus, quia non satis cogitant plerosque audientium, etiam eos qui in cæteris eruditi videntur, sæpe in rebus divinis infantes esse et novitios; contingit illis, inquam, ut dum magna tantum et sublimia affectant, aut bene sonantes numeros nimis studiose consectantur, *facti velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (Cor. I, 13, 1), aut potius *quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur* (Ezech. XXXIII, 32), nihil præter canoros strepitus et confusas voces edant, quibus aures fortasse mulceantur. Ita plerique ex illis concionibus, quo tamquam ad pingue convivium a patrefamilias invitati venerant, ut cibo veritatis sese explerent, vacui et inanes revertuntur, pictisque illis epulis non pasti, sed illusi, integram et jejunam famem domum referunt. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* (Thren. IV, 4.)

Neque hæc a me ideo dicuntur ut a sacris concionibus exclusum omnem ornatum velim. Usus orationis non in hoc repertus est, ut tantum cognoscant auditores, sed aliquanto magis, ut consentiant. Quæ autem libenter audiunt, ea et magis attendunt, et facilius credunt: plerumque delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur: habeatur itaque ratio hujus humanæ infirmitatis. Non sit oratio neglecta et horrida, huc et illuc temere errans, ejusdem ubique formæ et velut unius soni; ne et contemptum oratoris, et divini ipsius verbi satietatem ac fastidium creet. Meminerimus deberi hanc et rebus ipsis, et auditoribus reverentiam, ut nihil ad eos nisi accuratissimum, et quam fieri poterit diligentissime præparatum, afferamus. Excitetur subinde oratio illis minime vulgaribus sententiis ac figuris quæ convertant in se auditorem, nec languere patiantur, et faciant audiendi sitim. Detur etiam aliquid aurium judicio, nitidius aliquid et numerosius postulantium, quoniam penetrare altius in animum non possunt, quæ statim in aure quasi in vestibulo offendunt.

Sed ornatus ille virilis, fortis, et sanctus sit. Omnia potius ab argumento quam ab oratore profecta credantur. Sublimitas ipsa rerum ac magnificentia nobiles quoque sententias ac figuras pariat. Ac ne illis quidem etiam necessariis ornamentis aut nimium indulgeat orator, aut etiam ullatenus confidat, *ut non evacuetur crux Christi.* (Cor. I, 1, 17.) Grande nefas ac piaculum ducat vel leviter de fama ingenii solicitum esse, ubi agatur æterna populorum salus. Cogitet se *pro Christo legatione fungi* (Cor. II, 5, 20): apud nos *pauperes evangelizari* (Matt. XV, 5): *pauperum esse regnum cælorum* (Matt. V, 3): atque adeo se maxime pauperibus esse debitorem. Itaque prima sit illi virtus perspicuitas. Id propositum habeat, non ut intelligere possit auditor, sed ne omnino possit non intelligere: quod quidem non consequetur, nisi tam clara fuerint quæ dicet, ut in animum ejus oratio, ut sol in oculos, etiamsi in eam non intendatur, incurrat.

Scriptæ fortasse orationes, præsertim illæ quæ ad pompam et ostentationem comparantur, melius admittant tersum illud, et limatum, et crebris luminibus micans dicendi genus, quale nunc maxime dominatur: nam, ut ipse Fabius animadvertit, acres illas vibrantesque sententias, dum rem contineant, et copia non redundent, quis utiles neget? Feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt: et ipsa brevitate magis hærent, et dictione persuadent. At illa sententiarum abrupta brevitas, qua nihil apud vacuas aures atque eruditas potest esse perfectius, et quæ otiosum lectorem fortasse minus fallat (libera enim lectio est, nec actionis impetu rapitur), apud occupatos sæpe variis cogitationibus homines, et plerumque ineruditos inprimis evitanda est: rapide enim transvolat audientem, nec dum repetatur exspectat, nihilque aliud præter inanem jucundioris soni memoriam relinquit.

Quamquam, ut ego quod sentio libere fatear, omne

punctum tulisse mihi videtur oratio, etiam scripta, quæ, qualis est semper Tullii, et doctis probabilis, et plana imperitis erit; quæ sic ingeniose limata fuerit, ut ad eam intelligendam opus tamen non sit ingenio; sic omni venere et gratia abundet, ut præ se ferat felicissimam facilitatem; sic arte et studio sit concinna, ut ab ipsa natura fluere illaborata videatur. Optima enim minime accersita sunt, et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia. Sed plerique ista fastidiunt, tamquam sermonis quotidiani sint; et perire suum laborem atque ingenium putant, nisi statim appareat: nec attendunt, nihil in eloquentia, ut perfectius, sic etiam difficilius esse, quam id quod dicturos se omnes fuisse putant, postquam audierunt. « Ut sibi quivis Speret « idem, sudet multum frustraque laboret Ausus idem. »

Sed vereor ne me longius abduxerit hæc ad juvenes nostros de vitandis corruptæ eloquentiæ vitiis commonitio: nunc iidem paucis docendi, quantum ad fingendos mores prodesse possit Fabius.

Non sine causa proditum est, ut quisque vivat, ita etiam dicere. Loquuntur plerumque homines perinde ut affecti sunt, optimusque animi secretorum testis et index sermo ipse. Hoc certe Fabio maxime contigit: in scriptis ejus, tamquam in speculo, vivam mentis illius imaginem facile deprehendas. Mirus apparet ubique sinceritatis candor, et blanda conciliatrix animorum modestia, ab omni fastu et ostentatione longe abhorrens. Inest tanta illius gravitati aspersa comitas, tam suavis summæ eruditioni adjunctus urbanitatis lepos, ut licet non possis non vehementer admirari hominis doctrinam et ingenium, magis tamen ames indolem.

Dum vivis coloribus boni præceptoris speciem adumbrat, ipse non cogitans expressit suam. Scias sentire eum quæ dicit. Morum quam studiorum longe antiquior illi cura, multoque potior apud illum ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi. Neque vero usquam oratorem

discernit a vlro bono, aut eloquentiam a virtute separat, ratus si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil perniciosius fore, pessimeque illius magistros de rebus humanis merituros, si latroni comparent hæc arma, non militi. Vere parentis erga discipulos suos animum induit, patiens in docendo, in emendando non acerbus; nec tristi austeritate sibi odium pariens, nec dissoluta comitate contemptum; minime iracundus, aut sui impotens, nec tamen eorum, quæ corrigenda sunt, connivens dissimulator; solers peccata prævertere potius, quam punire; longe alienus ab illa illiberali consuetudine cædendi pueros, quæ plerumque et studiorum et magistri odium affert; sicque existimans, ad emendanda vitia plus lenitate et patientia, quam objurgatione et plagis profici.

Pauca tradit de discipulorum officiis, sed quæ nunquam debeant ab eorum animis effluere. Id unum eos admonet, ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament; et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Sic enim eos libenter audient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint carissimi, atque etiam familiariter amici, studio merebuntur, in ipsos denique cœtus scholarum læti et alacres convenient. Vult idem dari sibi puerum, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat: quem vel levissima objurgatio acrius mordeat, quam gravissimæ pœnæ: qui non imperio et metu, sed amore officii et magistri, ad laborem feratur. Studium enim discendi, voluntate, quæ cogi non potest, constat.

Ea vero de educandis pueris præcipit, quæ parentibus etiam Christianis injicere pudorem debeant. Quoniam natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percepimus, et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt, ab ipsis puerorum adhuc vagientium cunis prudenter amovet, quidquid teneras illorum mentes inficere vel leviter possit, acremque tunc maxime parentibus diligentiam

imperat formandi custodiendique in ætate prima pudoris, ne mollior illa educatio, quam indulgentiam vocant, quaque statim infantia deliciis solvitur, nervos omnes et mentis et corporis elidat. Nihil audiri in paterna domo, nihil spectari vult, quod possit obesse infantibus, ne discant hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Protinus ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciant pueri, cavere diligenter parentes et magistros jubet. Si enim hæc vitia ætate et consuetudine obdurescant, frangas potius quam corrigas.

Nullum ratus vacare spatium temporis oportere a cura fingendi mores, præcipit, quum scribere nomina puer incipiet, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus et forte occurrentibus perdat, iique versus qui aut ad imitationem scribendi, aut ad memoriæ exercitationem proponentur, non otiosas sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur enim hæc memoria in senectutem, et impressa animo rudi usque ad mores proficit. Quid igitur censuisset de sacris codicibus, qui *verba æternæ vitæ* continent, si ejus animo hæc divina lux affulsisset?

Quum agit de lectione auctorum, fatetur hanc partem studiorum admonitione magna egere, inprimis ut teneræ mentes, tracturæque altius quidquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant. Qui licentius scripsere, eos vel prorsus a suis discipulis amovet, vel certe ad firmius ætatis robur reservat, quum mores in tuto fuerint. Non auctores modo, sed etiam partes operum eligit. « Horatium « in quibusdam, inquit, nolim interpretari. » Operæ pretium est hominem ethnicum sic loquentem audire christianos scriptores et magistros, qui elegantiæ quam pudoris studiosiores, incautis adolescentibus propinare non verentur hoc periculosius venenum, quo dulcius. Maximam certe gratiam habere debemus eis, qui pietati simul et doctrinæ

consulentes, plerosque auctorum latinorum non solum accuratissimis illustrarunt notis, sed etiam ab omni labe, quantum fieri potest, sic purgarunt, nihil ut fere amplius ab ipsorum lectione castis auribus et animis timendum esse videatur.

Auctor est pueris, ut formandæ vocis causa musicam discant, non eam quæ nunc, ait, in scenis effeminata, et impudicis modis fracta, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit; sed qua laudes fortium canebantur, quaque et ipsi fortes canebant. Ad pronunciandi scientiam formetur puer: at nec vitia ebrietatis effingat, nec servili vernilitate imbuatur; nec amoris, avaritiæ, metus discat affectum: nam frequens imitatio transit in mores. Qui sic loquitur ac sentit, an pateretur obscœnis canticis strepere christianas domos; legi privatim, aut palam pronunciari refertas tenerrimis affectibus tragœdias; aut etiam dari in theatro adolescentibus magistros et socios saltitandi ac declamandi, comœdos, mimos, scurras, balatrones, et cæteras id genus publicas pestes pudoris et honestatis?

Quid autem de magistri delectu statuat Fabius, discant parentes christiani, quibus qui minimo sumptu constat, optimus is videtur; aut obvius quisque sufficit; aut nonnisi comptus, et elegans, et politulus quæritur; aut obsoleta eruditione hirsutus maxime placet. Jubet diligenti studio eligi *præceptorem sanctissimum quemque* (cujus rei, inquit, præcipua prudentibus cura), a quo juvenis mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur: cujus disciplinæ severitas, pudor inprimis et castitas constet, ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat: a quo puer nihil audiat nisi profuturum, nihil discat quod nescisse rectius fuerit. Plurimum illi de honesto ac bono sermonem esse vult, quia licet aliunde præcepta et exempla suppetant, tamen viva illa vox alit plenius, præ-

cipueque præceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant, et verentur.

Infinitus sim, si, quæ in his libris occurrunt ad fingendos mores, velim colligere. Si nostro auctori creditur, nunquam patronus ad dicendum accedet cupiditate laudis et gloriæ adductus, multo minus spe mercedis et lucri. Quod nunquam apud nos in disceptationem veniret, fuse apud Fabium tractatur, gratisne semper oratori agendum sit. Paciscendi quidem ille piraticus mos, et imponentium periculis pretia procul abominanda negotiatio, longe ab illo aberit. Si sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, turpe ducet vendere operam, et sordido quæstu elevare tanti beneficii auctoritatem. Non defendet ille nisi viros bonos; nunquam injusta tuebitur sciens, nec portum illum eloquentiæ salutarem etiam piratis patefaciet.

Ante omnia liberum dabit iis, quorum negotia suscipiet, tempus ac locum, quamlibet verbose res suas exponant; memor scilicet supervacua cum tædio audiri, necessaria cum periculo subtrahi: nec adeo pluribus se causis onerari sinet, quam quas tueri optime possit. Litis omne instrumentum per se ipse diligenter scrutabitur, nec ad id sequestram alterius fidem et operam adhibebit.

Nunquam a viro bono in rabulam latratoremque conversus, caninam, ut aiunt, eloquentiam asperis maledictis exercebit. Turpis hæc voluptas, et inhumana, et nulli audientium bono grata, a litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt quam defensionem: at si quid modo liberi sanguinis habeat, non sustinebit petulans esse ad alterius arbitrium, tantumque aberit ut imitetur eos qui conviciis implent vacua causarum, iisque sæpe fictis, modo sit materia ingenii, mereaturque clamorem dum dicitur; ut ne vera quidem sit objecturus, nisi id prorsus causæ necessitas exigat.

Quid est fere quod nos christiana doctrina exculti ad

hæc Fabii præcepta possimus adjicere, si tamen tam rigidæ et austeræ disciplinæ suscipere ipsi patrocinium audeamus? Quid tali virtutis indole perfectius, quid amabilius cogitari potest? Quæ laus modestiæ, pudoris, probitatis, abstinentiæ, justitiæ deesse ipsi videtur? Si quæ humanæ dotes inæstimabile Fidei donum mereri possint, quis illa dignior quam Fabius?

Caruit tamen pretiosa illa luce veritatis: imo sponte obviam occurrenti, et ad sese ultro invitanti oculos occlusit pertinaciter, suasque illi tenebras prætulit. Accitus in eam[1] domum, quæ tota Christi bono odore fragrabat; quæ puris evangelicæ doctrinæ irrigata fontibus nonnisi Pauli et apostolorum verbis personabat, quæ inter summas opes inops, et in celso humanarum dignitatum culmine christiane humilis, etiam in sexu fragili sui cruoris bene prodigos martyres tuendæ religioni dare meruit: ipse Christiani nominis si non hostis, at certe contemptor, et incuriosus, ausus est *primum judaicæ superstitionis auctorem*, hoc est, vel latorem antiquæ legis Moysen, vel potius, ut tunc loquebantur, Christum ipsum, *tamquam perniciosam cæteris gentem contraxisset*, contumeliose insequi.

Quid commemorem illam vix in tali viro credibilem turpissimæ adulationis ignaviam, qua imperatorem, generis humani dedecus, omni flagitiorum ac libidinum et crudelitatis genere infamem, ut censorem sanctissimum, atque etiam, ne quid ignominiosæ assentationi deesset, ut cæleste numen, populorum omnium non admirationi solum, sed etiam adorationi proposuit? Quid impiam illam doloris acerbitatem in suorum immatura morte liberorum referam, quæ eo erumpit, ut ipsos etiam (quos tales opinaba-

1. Domus ac familia Clementis consulis, cujus liberorum educatio commissa Quintiliano fuerat, Christianæ religionis professione claruit, pluresque sanctos ac martyres protulit, Clementem ipsum, et utramque Domitillam.

tur) incuset Deos, nullamque terras amplius despicere providentiam testetur? En quo recidunt sine Christo hominum ethnicorum eminentissimæ virtutes. Fatendum tamen occurrere in Fabio permulta, quibus ad honeste vivendum adolescentes informentur, nec ullum esse ex antiquis auctoribus, qui plus ad fingendos mores conferre possit.

Qui igitur contigit tot clarum titulis auctorem, fuisse hactenus et in publicis scholis velut hospitem ac peregrinum, et in cæterorum hominum manibus adeo infrequentem? Non sane incusari potest nec in magistris negligentia sui officii, nec in aliis incuria rerum optimarum. Nunquam forte acrius quam nunc in Academia parisiensi studia viguerunt: nulla ætas quam nostra fuit litterarum et politioris humanitatis studiosior. Imputandum illud ipsi Fabio, nec vitio dandum.

Occurrunt in ejus scriptis vel ab ipso initio tot salebræ et asperitates, ad quas statim velut ad scopulum lectoris animus offendit, ut mirum non sit plerosque ab illorum lectione deterreri. Rhetorica, cui per plurimos annos operam dabant juvenes, sic fere in scholis apud illos tractabatur, ut olim apud nos philosophia. Quum tunc multa esset inter rhetores de arte dicendi controversia sententiarumque varietas, et in magnam rerum tenuitatem descenderent, eorum præceptis inerant necessario plurimæ subtilitates, quæ nunc non possunt fastidium non movere. Præterea multa sunt abstrusiora et difficiliora, quæ ut per omnes numeros penitus cognoscere, ad summam scientiæ tunc necessarium erat, ita nunc incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit.

Hæc ego, et alia ejusmodi, quæ ob nimiam obscuritatem plerosque offendunt, amputanda censui, ipso, ni fallor, non vehementer refragante Fabio. Pluribus enim locis admonet non esse tot præceptis obruendos juvenes, ne dif-

ficultate institutionis tam longæ atque perplexæ deterreantur, et quo tempore præcipue alenda ingenia atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atterantur. *Eligat itaque* (hoc ipse in alia re suadet) *peritus ille præceptor ex omnibus optima.*

Non eram nescius, quum id opus aggressus sum, fore ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Quibusdam enim, et iis plerumque maxime eruditis, totum hoc displicet auctores edendi genus, quo aliquid ex eorum scriptis reciditur. Neque hi sane, dum ita sentiunt, ratione prorsus et judicio carent. Postulo tamen ab iis enixe, primo, quod æquitatis est, ne me inauditum damnent: tum, quod erit eorum humanitatis et benevolentiæ, ut etiamsi minus rem ipsam probent, aliquam tamen optimæ voluntatis meæ rationem habeant.

Quum me totum hactenus meamque omnem industriam instituendæ optimis artibus juventuti impendissem, mei quoque otii fructus eidem consecrandos existimavi. Dolebam jampridem non posse in manus adolescentium tradi Fabium, memineramque olim me, dum rhetoricam in Academia parisiensi profiterer, sæpius optasse ut non alio rhetore discipuli nostri quam Fabio uterentur. Ecquem enim meliorem ex antiquis haberent et dicendi præceptorem, et vivendi? Hos sensus, ut alia omnia, a clarissimo viro hauseram, quo in rhetorica præstantissimo magistro, et in omni reliqua vita optimo patre usus sum. Nec dubito quin cæteri eloquentiæ professores, ut sunt acri judicio non minus quam ingenio prædíti, etiamnum idem quoque sentiant. Non male igitur et de adolescentibus, et de magistris, et de litteris ipsis meriturus mihi videbar, si possem efficere, ut recisis illis velut spinis et sentibus, quæ hactenus iter ad Fabium juventuti obstruxerant, aditus in posterum pateret omnibus ad amœnos illos et elegantes eloquentiæ hortos, omni florum et fructuum genere abundantes.

Habebam quoque in animo amantibus bonarum artium doctis viris et claris magistratibus hanc præstare operam, ut quum duris litigantium clamoribus et conviciis liberati ex urbe tamquam e vinculis ad villas suas evolant, peregrinationis suæ et rusticationis socium haberent Fabium, sed supervacuis exoneratum sarcinulis, sicque ad iter magis expeditum ac levem. Qui si jejunis disputationum concertationibus aures præsertim tam delicatas raderet, verebar ne, ut parum jucundus in illo ruris otio comes, forsitan contumeliose dimitteretur.

Denique non diffitebor me etiam in hoc opere suscipiendo consuluisse vires meas. Si totum Fabium longis et eruditis interpretationibus illustrari oportuisset, quales in Rhetoricam Aristotelis et Tullii habemus, quod fortasse optandum erat, sensi me tanto oneri longe imparem. Nec ambitiosæ modestiæ velo segnem inertiam tegi quisquam putet. Devorassem lubens difficultates omnes ac molestias tam ardui operis, si non viribus meis atque ingenio majus visum esset, et juvandæ in studiis artium juventutis proposito meo prorsus alienum.

Totum igitur in hoc laborem impendi, ut ad legendum Fabium allicerentur homines, et esset aliqua demum præstans rhetorica, quæ studiosis eloquentiæ adolescentibus posset proponi. Hac mente e libris istis recidi quæcunque minus necessaria mihi visa sunt, hoc est, quartam fere totius operis partem: spe certissima nixus, fore ut, deterso obsoletæ artis ac vetustatis squalore, Fabii labor nostro ævo et judicio accommodatus longe clarius enitesceret. Triplici tamen signorum genere lectorem admonendum censui nunc pauciores aliquot versus, nunc multo plures, nunc integra etiam capita omitti.

Nec quisquam existimet Rhetoricam hanc, etiam qualem nunc edimus, longiorem fore, quam quæ tradi adolescentibus, et doceri in publicis scholis facile possit. Si biennium

Rhetoricæ impendatur (et vero an potest brevius temporis spatium dari studio rei ut pulcherrimæ omnium, sic etiam difficillimæ?), totos duodecim Fabii libros poterunt adolescentes prælegente magistro evolvere. Sin, ut est nunc festina et præceps in promovendis liberis parentum ambitio, nec timent cruda in forum et curiam propellere suorum ingenia, unius anni curriculo hæc studia terminentur, poterunt in schola omitti plura, præclara quidem illa, sed quæ ad Rhetoricam proprie non pertinent, eaque privatis lectionibus reservari. Tales sunt, quibusdam exceptis, primi duo libri, et postremi tres: nec pauca ejusmodi in reliquis occurrent, quæ facile prudentes magistri observabunt.

Singulis capitibus præfixi summam eorum quæ in iis continentur. Accuratissimis quam potui distinctionibus singula præcepta interpunxi, ut sic discreta a se invicem et disjuncta haberent plus lucis ac perspicuitatis, et legentem oblatis pluribus interquiescendi invitamentis minus fatigarent: qui ordo non id solum præstat, ut clariora fiant quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis; sed oculos quoque et animum certo singularum partium fine reficit.

Quum exempla a Fabio afferuntur, loca unde ducta sunt, citatis etiam, quo facilius ad ea recurri possit, numeris aut versibus, ad marginem apposui, paucis omissis, quæ vel non exstant, vel mihi exciderunt. Ubi Cicero eadem præcepta tractat quæ Fabius, id plerumque diligenter annotavi, ut hæc secum invicem conferri possint: nec, brevitatis causa, ab illius operibus distinxi Rhetoricorum ad Herennium libros, quamvis sint incerti auctoris, vel potius, ut ipse Fabius innuit, Cornificii.

Ad enodandas difficultates, quæ non paucæ occurrunt, breves interpretum notas, ac præcipue Turnebi, si tamen illius sunt, singulorum nomine apposito, adhibui; ratus

nimirum, reperto quod est optimum, qui quærit aliud, pejus velle: nec illis unquam inserui meas, nisi quum erranti mihi in tenebris, et velut obscura nocte deprehenso, duces illi defuerunt.

Eruditissimos ex Academia nostra Parisiensi, et aliunde etiam quam licuit, plurimos consului, quorum prudentissimis admonitionibus non mediocriter me adjutum esse libentissime fateor, inprimis autem doctissimi Culturii, qui mihi et perveteris amicitiæ vinculo, et fraterna quadam eorumdem honorum ac munerum societate conjunctissimus, non solum patientissimas aures præbuit in audiendo hocce opusculo, sed, ut est in rhetoricæ præceptis versatissimus, et perpolitus omni genere eruditionis, ad expediendas Fabii difficultates maximo fuit adjumento.

Non dissimulabo tamen plurimas adhuc superesse obscuritatum ambages, ex quibus, tot licet præsidiis adjutus, extricare me nequaquam valuerim: quibus in locis nihil potui aliud quam rei difficultatem et ignorantiam meam confiteri. Multa scilicet apud Fabium vitiata procul dubio et corrupta injuria temporum occurrunt, quæ vetustissimi alicujus et emendatissimi codicis lucem ac fidem valde desiderant. Perdiu quidem habui inter manus regios et Colbertinos Fabii codices manuscriptos. Sed quum tunc commissæ juventutis cura totum me sibi vindicaret, non potui conferre cum eis nisi difficillima quædam et obscurissima loca; nec opis inde multum et auxilii accessit, quum eorum antiquissimus ultra quingentos fere annos non excurrat.

Quum igitur tot vulneribus mederi aliunde non possem, necessum fuit sæpius conjectura uti: eaque cessit aliquando, si non ipse mihi nimium blandior, satis feliciter. Plurima certe loca mutatis aliquot voculis, aut etiam interpunctionibus, utcunque sanitati restitui, quorum indicem posterior tomus continebit, ut et eorum, quæ explicare

non potui. Nunquam tamen ausus mutare quidquam in ipso textu, satis habui admonere in notis quid corrigendum videretur.

Quod si contingat unquam, id quod vehementissime desidero, ut in publicis scholis hæc Rhetorica doceatur, omnium sane præstantissima; satis amplam quidem laboris mei mercedem adeptus videbor, si pro virili parte optimorum juvenum adjuvare studia potuero. Inprimis autem juvabit grati ac memoris animi hoc qualecunque monumentum reliquisse Academiæ parisiensi, optimæ matri meæ, quæ me alumnum suum, in sinu suo ab ipsa pueritia eductum, saluberrimisque litterarum et christianæ doctrinæ elementis imbutum, postquam per omnes laborum et honorum gradus ad supremum etiam sui regimen evexit, dat nunc a cæteris omnibus curis immunem, Deo mihique ipsi melius ac liberius vacare; et quando negotium justum non amplius imponit mihi necessitas caritatis, indulgere otio sancto, quod quærit caritas (S. Aug.) veritatis.

XV.

PETRI BURMANNI PRÆFATIO.

(1720.)

Nescio an quisquam inter omnes veteris ævi scriptores supersit, qui laudem ingenii et eruditionis per omnia, quæ ab eo tempore, quo in ora hominum venit, effluxerunt, secula facilius tueri potuerit, minusque maligna aut

iniqua hominum judicia expertus fuerit, quam M. Fabius Quintilianus : unicus certe est, qui inter latinos rhetoras dignus est habitus, ut perfectus et absolutus eloquentiæ magister crederetur, utpote qui omnium fere, qui vel ante eum, vel post ejus tempora artem bene dicendi tractaverunt, famam luce sua obscuraverit. Neque quisquam efficere potuit, ut ex manibus docentium vel discentium eloquentiam excuteretur, sed omnes in hac eruditionis parte versati, vix potuerunt eam nobilitatem consequi, ut nomina sua ad posteros transmitterent. Quidquid etiam doctorum virorum a renatis feliciter litteris in Italia, Gallia, Germania et cæteris orbis partibus, ad hanc disciplinam animum applicuit, cursum suum ad Fabium, tamquam ad sidus certissimum, direxit. Ita ut si quis animum insignis hujus rhetoris præceptis diligenter imbuerit, is facile reliquos, qui in hoc scribendi genere elaborarunt, præterire et negligere possit; et si ad usum et exercitationem illa, quæ a Fabio didicit, adhibere continua meditatione instituerit, non alio magistro opus esse per se deprehendat. Neque etiam aliter per ipsum hujus artis et dicendi facultatis ingenium et naturam fieri potest; non enim ex earum artium aut scientiarum genere est eloquentia, quæ ex reconditis et abditis fontibus hauritur, et obscuritate principiorum, pro temporum vicissitudine et humanorum ingeniorum inconstantia et levitate, diversa experiatur fata, et præcepta et effata sua variare cogatur. Si spectemus, quæ superbo, et minus conveniente nomine, se super reliquas effert, philosophiam, quæ omnium laudatarum artium se procreatricem et parentem jactat, reperiemus nihil illam adhuc certi, in quo sectatores ejus consistere possint, protulisse. Nihil enim rerum naturalium, siderum cælique spectatores efficere potuerunt, quo sequentium industriam et laborem supervacanea reddiderint. Qui altius humanis rebus caput extollere, et ad ipsam divinæ aut

humanæ mentis vim et facultates penetrare voluerunt, nihil aliud nodosis et inutilissimis maximam partem disputationibus perfecerunt; nisi ut omnia secula vano labore fatigaverint, nihilque ita ad liquidum perduxerint, ut omnium vel certe plurimorum consensu aliquid convenerit, quod ampliorem deliberationem excluderet. Nihil nunc dicam de rerum divinarum studio, et perpetua illa varietate et inconstantia, quæ adhuc non permisit, ut inter ullos eorumdem sacrorum consortes certi ritus colendi Deum, et sentiendi recte de gravissimis religionis capitibus unus et perpetuus tenor constitueretur, qui nullis cavillationibus, aut fallacibus conclusiunculis convellatur. Nihil de civilis prudentiæ, aut publicæ et privatæ vitæ disciplinis, quæ pro regnorum et imperiorum vicissitudine, et populorum ingenio, vel pro eorum, qui aut ostentationis aut quæstus causa philosophantes, humano generi novo quodam modo imperare volunt, levitate et superbia, recentes semper nobis producunt magistros, qui sapientiores sibi præteritis visi, omnia a prioribus tradita evertere student. Sola est eloquentia, tam quæ soluta oratione liberius evagatur, quam quæ certis legibus et modis adstringitur, quæ indubitata artis suæ principia et inventa et perfecta esse, neque quidquam esse, quod ad artis præcepta adjici possit, sed si quid desit, id non arti, sed naturæ humanæ deesse, gloriari possit. Et quamvis nemo adhuc per corporis nostri et mentis vitia et depravationem, existere potuerit, qui ad summi et perfecti oratoris laudem adspiraverit, hoc tamen bene dicendi et scribendi magistri effecere, ut unicam et certissimam viam, qua ad decus hoc enitendum sit, ostenderint, et optimi oratoris illam animo speciem effingi posse docuerint, præter quam nulla alia excogitari possit. Et hæc arti huic perfectio necessario contingere debuit: non enim rhetores, ut philosophi, mathematici, et rerum divinarum

humanarumque doctores, versantur in obscuritate rerum et artibus reconditis et subtilibus, sed rationem omnem in medio et communi usu, hominum more et sermone positam esse profitentur. Non ex discrepantium opinionum varietate, ea quæ optima videntur esse, dubii sæpe et incerti eligunt, sed uni naturæ et consuetudini, eique perfectissimæ, attendentes, nullam aliam eloquentiæ sibi imaginem cogitatione fingunt, nisi quam ipso actu exprimere debent: et quum naturæ constans semper et eadem sit ratio, non infinitarum linguarum varietas, non morum et institutorum, quibus gentes et populi distant, dissimilitudo, non educationis aut studiorum diversa conditio, non de rebus divinis et humanis discrepantes sententiæ, eloquentiæ etiam præcepta dubia et instabilia facere possunt. Sed quocunque sermone, apud quoscunque populos, de quibuscunque rebus agendum est oratori, una semper et certa eloquendi et agendi est ratio et disciplina. Et quamvis una eademque lingua, primum rudior et incomptior, postea magis magisque poliri et exornari cœperit, non tamen diversam eloquentiæ imaginem ejus cultor sibi formabit, sed ex eodem, omni temporum, locorum et rerum statu, fonte docendi et movendi eos, qui se audient, rivos deducet, ex quibus ab omni ævo arte dicendi clarissimi viri deduxerunt. Si Athenæ jure gloriatæ fuerint, apud se inventam simul et perfectam esse eloquentiam, Roma quoque nihil se reliquisse jure jactaverit, quo minus et sua lingua popularibus eadem tradiderit, quæ florentibus Græciæ rebus rhetores prodiderunt; reliquarum nationum magistris nihil superesse potuit, nisi ut regulam et normam eloquentiæ, semel constitutam, confirmarent, et nihil novi se docere posse confiterentur. Neque etiam id sibi sumpsit Fabius, ut novæ cujusdam artis, aut cui ad sua tempora imperfectæ aliquid adjici possit, arcana primus evulgaret, sed ut neglectæ non tan-

tum, sed suo tempore insigniter per declamatores depravatæ eloquentiæ præcepta, ab utriusque linguæ viris ante se tradita, in unum corpus collecta promulgaret. Hinc quoque evenisse videmus, ut ex immenso illo rhetorum numero, qui apud Græcos floruerunt, præter Aristotelem et quosdam alios, qui tamen non omnes eloquentiæ partes excusserant, paucissimi ad nos pervenerint, et ex Romanis, præter Ciceronem et Fabium, qui hoc in genere maxime enituerunt, nemo fere dignus sit habitus, qui ad posteritatem transmitteretur, quum nihil ad formandum illum perfectum oratorem duo illi neglexerint, effecerintque ut aliorum industriæ nullus sit locus relictus. Non mirandum ergo, si per tot seculorum decursum solus fuerit Fabius, qui omnium suffragia tulerit, et qui, quamdiu eloquentiæ et litteris honos habebitur, unicus semper, ut consummatus facundiæ magister, juventuti commendari sit meriturus. Quam etiam causam mortuæ quasi paullo post Fabii tempora eloquentiæ et commutatæ in barbaram quamdam et stultam loquacitatem, fingemus? nisi quod minus Fabio et Ciceroni auscultantes viri, acuti quidem, nec ingenio aut eruditione orbati, sed inani specie ablati, pro naturali fucatam quamdam et corruptam eloquentiæ imaginem amplexi fuerint. Quæ orationis deformitas ad renascentia demum in Italia bonarum artium studia permansit, quum a Poggio ex tenebris et claustris, quibus per tam immensum temporis spatium fuerat cohibitus, protractus Quintilianus antiquum orationi decus et splendorem restituit, et renovavit. Quantum hi de Institutione Oratoria inventi ante tria secula libri contulerint ad polienda ingenia et linguas eruditorum, quanto gaudio hæc eruditionis instrumenta excepta, quanta contentione, arte typis libros exprimendi nondum pervulgata, exemplaria descripserint summi in litteris viri, dicere hic nihil attinet, quum plena summæ lætitiæ testificatione sint ejus

seculi monumenta. Nemini etiam mirum accidere poterit, tot Quintiliani, a quo typographia frequentari cœpit, editiones prodiisse, ut vix potuerint eruditionis et eloquentiæ studiosi satiari. Quarum ne longum pertexam catalogum, diligentia Cl. Almelovenii effecit, qui, quum novam Fabii editionem moliretur, et undique editiones quotquot potuerat, conquireret, earum indicem ediderat, qui deinde tomo V Historiæ criticæ insertus, et post has præfationes proditus, nobis de variis Quintiliani editionibus disserendi gratiam fecit. Ita ut nihil fere supersit, nisi ut, quibus subsidiis nos instructi ad hanc curandam aggressi sumus, breviter disseramus. Neque etiam de ipso Fabio, ejusque vita et fatis longam instituemus orationem, quum hoc virorum insignium, ut Nicolai Antonii in Veteris Hispaniæ tom. I, et inprimis Dodwelli industria præceperit, cujus Annales Quintilianeos subjicere non negleximus: plura etiam tam de meritis Fabii, quam diversis doctorum virorum curis et editionibus Fabricius congessit, quæ ex viri diligentissimi Bibliotheca latina, ejusque supplemento, repeti possunt. Ex quibus, et quos illi laudant, abunde discere poterit lector, qua ratione repertus primum a Poggio sit Fabius, et quæ sint priorum, qui ante nos in edendo et emendando eo elaborarunt, merita; nos contenti simpliciter enarrare viam, quam in laboriosissimo opere instituimus, et quibus copiis instructi ad illud accessimus, breviori præfatione defungemur.

Scripti codices initio nulli ad manum fuerunt, quum pauci in bibliothecis nostris reperiantur, et omnes fere recentioris ætatis, maximamque partem ex primo illo in Sancti Galli cœnobio a Poggio reperto codice propagati credantur. Ubi vero primus ille codex lateat nondum resciscere potui, sed postquam ille a Poggio, honesto furto (ut hoc subindicare Johannes Keslerus in San-Gallensi bibliotheca, tom. III Rer. Alemannic. p. 161, a Goldasto

editarum videtur) sublatus fuit, in Italiam missus, ibique certatim descriptus fuit. Florentiæ illud exemplar ex Germania allatum se legisse testatur Raphael Regius in commentario ad epistolam Fabii ad Tryphonem; an vero adhuc ibi servetur ignoro. Cl. Almelovenius, qui constituerat novam Quintiliani editionem procurare, ex codice antiquo varias lectiones margini libri sui adscripserat, quas nos ex exemplari suo sibi excerpsisse prius credentes Almeloveniani nomine insignire inceperamus, quum deinde Cl. Francii fuisse, illumque ejus usum Almelovenio indulsisse intellexerimus: quum vero profligata jam ad lib. V, cap. 10, editione, sublatis rebus Leidam commigrassem, statim bibliothecæ publicæ pluteos excussi, et in iis tres codices Vossianos repositos reperi, quos quanta licuit diligentia contuli, variasque lectiones exinde verbis Fabii subjicere incœpi, reliquis in calcem inter addenda rejectis. In horum codicum collatione nihil humani mihi accidisse affirmare non audeo, quum sæpe et acies oculorum et mentis in hoc ingratissimo labore obtunderetur, et evenisse forte potuerit, ut adscribam primo codici lectionem aliquam, quæ in secundo vel tertio reperiatur, quamvis id raro evenisse meminerim. Quam facilis vero diversos uno tempore codices conferenti talis lapsus esse soleat, docere possent omnes fere, quicunque hoc saxum volverunt: et ne latius evager, ipsum Gibsonium, cujus fidem et diligentiam summam non potui satis suspicere, aliquando tamen humani hujus peccati non immunem offendi, et sæpe pro discrepantibus codicum lectionibus dedisse diversas longe ac nominat, imo lemmata etiam quædam in marginem librorum conjecta, earum loco produxisse, ostendere in facili foret. Quare et mihi ignoscendum æque atque aliis contendo; neque facile criticis, tam molesto opere in summum reipublicæ litterariæ usum perfungentibus, convicia facienda, nisi mala fide, et ut conjecturis suis aucto-

ritatem concilient, manum veteris librarii ementiuntur, in quam partem me nunquam peccasse conscius mihi sum. Serius ad me transmisit vir optimus et eruditissimus Bernardus Montefalconius varias lectiones codicis Colbertini, quem ille duodecimi fere seculi esse credebat, et quas a libro fere IV adhibuimus; aliud, et ex ipso Poggii codice descriptum exemplar in eadem bibliotheca esse didici ex Menagii Antibailleto, qui illud ex Heinsiana in Colbertinam migrasse narrat. Codicis etiam Bongarsiani, quem nunc habet bibliotheca Bernensis, variantes lectiones ad me misit humanissimus et doctissimus Juvenis J. Georgius Altmannus, cui pro hoc insigni officio publice gratias, quas debeo, ago; sed et has in ultima hujus editionis folia rejicere coacti fuimus, quum venissent ad nos eo tempore, quo libri de Institutione Oratoria jam descripti typis essent. Ad marginem præterea editionis Gryphianæ a. 1536, quæ est inter Almelovenianos in Bibliotheca Ultrajectina codices, erant quædam variæ lectiones, excerptæ ex antiquo exemplari manuscripto a Joanne *Poullain* Turonensi, Aureliano canonico, quod absolverat a. 1465. Sed cito defatigatum, quisquis ille fuerit, qui codice illo usus est, apparet, nam ante cap. 3, lib. I, jam defecerat: alia vero manu hic et illic quædam emendationes in oram libri conjectæ erant. Hæc fere nobis ex antiquis et manu exaratis codicibus subsidia præsto fuerunt, quæ, si mihi parum profuerint, me doctioribus et acutioribus ad emendandum Fabium planiorem viam posthac monstratura spero: nullus enim, credo, scriptor ad nos pervenit, in quo tot affecta et plane desperata adhuc loca supersunt, quibus ut medicam manum adhibere, et excutere quidquid ubique codicum lateat, eruditi viri et eloquentiæ studiosi velint, magno opere contendendum est. Et ut harum rerum cupidis etiam satisfaciamus, breviter indicare visum est, ubi codices quosdam superesse, et quos jactasse se antiqua

exemplaria possidere, legendo didicerim. Vetustissimum ac certissimæ fidei librum Quintiliani, sed nulla nota addita loci, ubi hæreat, se legisse et vidisse testatur Domitius Calderinus, Adnotationum diversar. tom. I, Facis Criticæ, pag. 316. In Bibliotheca Gothana optimum Quintiliani exemplar servari didiceram olim ex Cl. Tenzelii colloquiis menstruis anni 1694, pag. 108; et postea in catalogo MSStorum ejus bibliothecæ a celeberrimo Cypriano edito, cap. 1, p. 66, legi illud admirabili studio confectum, et Roma perlatum ex Pii III Bibliotheca. Quem ut diligenter excutiant et prodant viri, qui iis in Germania studiis tenentur, docti, vehementer rogo. In Ambrosiana etiam Mediolani bibliotheca egregium codicem, et litteris uncialibus scriptum vidit Isaacus Vossius, ut cognovi ex epistola ejus kal. novemb. 1647, ad Nic. Heinsium data, quam cum infinitis aliis servo. Johannes quoque Gerardus Vossius, lib. I de Vitiis sermonis, cap. 18, membranas ex paterna et avita bibliotheca a Joachimo Camerario, Suecico ad Belgas legato, sibi datas laudat, quæ an ad ejus filium Isaacum transierint nescio; secundum tamen codicem Vossianum posse eumdem esse, inde suspicor, quia duo alii codices, lib. III, cap. 6, pag. hujus editionis 253, habent *res gestæ*, in Camerarii vero membranis *regestæ* esse notaverit Vossius pater: hunc etiam codicem Johannes Stephanus Stephanius, qui in Fabium commentarium moliebatur, a Vossio per epistolam petebat. Ad quatuor scriptorum fidem se Fabium emendare aggressum profitetur Latinus Latinius in epistola ad Andr. Masium, p. 231: sed nihil inde prolatum esse novi, quum in bibliothecam suam quasdam tantum in Declamationes emendationes retulerit, nihil vero in libros de Institutione Oratoria, in quos tamen notas confecisse, easque possedisse cardinalem Brancaccium, credebat olim Emer. Bigotius, ideoque quum Romæ esset, easque videndi veniam petivisset, et

intellexisset in Declamationes tantum superesse paucas quasdam notas, eas inspicere se neglexisse scribit Nicolao Heinsio, a. 1662, addens admixtas etiam fuisse Andreæ Masii Observationes. Hujus vero, ut hoc in transitu addam, Bigotii, viri dum viveret ad officia amicis præstanda nati, et qui undique viris doctis subsidia et ornamenta eruditionis conquirebat et suppeditabat, epistolas plurimas ad Heinsium datas possideo, quas in publicum emitti maxime e re litterarum foret, quia plenissima historiæ litterariæ cognitio eorum temporum inde hauriri posset; sed fastidit hoc librorum genus typographorum natio, et licet avidissime epistolas virorum doctorum appeti videat, non tamen suo pretio venire, nisi ubi deficere et rara esse exemplaria incipiant, experitur. Henricus Ernestius etiam promiserat se Fabium ex MSS. codicibus emendatiorem producturum, ut narrat Cl. Tenzelius Colloq. Menstr. an. 1692, pag. 586. Probæ et antiquæ notæ codicem, et quo meliorem nullius scriptoris vidit, se Basileæ nactum scribit Barthius, lib. XIV, Advers. 18; et XXXI, 5, ubi quædam loca ope ejus libri restituere conatur. Vidit etiam aliquot codices in Italiæ bibliothecis vir celeberrimus Montefalconius, et Diarii Italici, pag. 304, membranaceum, sed recentem in bibliotheca viri illustris Vallettæ, in qua et Vallæ collectanea erant in Institutiones Oratorias, pag. 305, memorat. Idem Florentiæ in monasterio S. Mariæ membranaceum, pag. 375, et Fesuli in Bibliotheca Cosmæ, in cœnobio canonicorum alium vidisse se pag. 393 narrat. Plures superesse nullus dubito, sed paucos, qui magnam præ se ferunt ætatem, et qui non ex Poggii illo codice descripti fuerunt. Atque hæc de codicibus librorum de Institutione Oratoria, quorum ope et nos usi sumus, et postea alii uti poterunt, sufficiant.

Aliquid etiam de Declamationibus, quas magis ne quid desiderari in hac editione posset, quam ut eas admodum

dignas censeam, in quas multum temporis et laboris impendatur, subjiciendas putavi, adjiciendum erit. Sub Quintiliani nomine tam majores, quam minores circumferri videmus, et a quibusdam duos Quintilianos, avum et nepotem celebrari, quum mihi nunquam a Quintiliani manu profectæ esse videantur, sed, ut viri docti jam diu ostenderunt, diversorum rhetorum et non unius ætatis esse fœtus, quum una sit alia nitidior et elegantior. Illæ vero, quæ avo adscribi solent, minime præ cæteris sint commendabiles, quum ille tamen multo propior Augusteo ævo, et pæne illud tangens, debuisset eloquentiæ palmam omnibus præripere. Et hinc forte Tenzelius colloq. Menstr. ann. 1696, p. 717, Quintilianum, non addens, an avum, an nepotem velit, Augusti tempore floruisse, affirmat. Quare, puto, nobiscum non male actum fuisset, si pro his luxuriantium, et ut Petronius recte censet, genere quodam furiarum, inquietatorum Declamatorum fœtibus, alia et insigniora veteris ævi monumenta inertes librarii et insciti transmisissent; ego certe omnes has Declamationes, quæ nihil fere simplicem et naturalem eloquentiam adjuvant, juris vero studium parum illustrant, pro uno vel altero Livii vel Taciti volumine in lucem protracto lubens tenebris redonarem. Quum tamen edendæ essent, nihil, licet ingrati, laboris omisi, ut illæ quoque integriores et a mendis plurimis depurgatæ prodirent. Auxilio fuere quatuor codices, quos Leidensis bibliotheca suppeditavit, ex quibus duo ex Vossiana in illam commigrarunt, et quorum conferendorum molestiam minorem fecit optimorum juvenum, Cornelii Ackersdyckii et Francisci Oudendorpii, auditorum meorum summæ spei, humanitas, qui maxima ejus laboris parte me sublevarunt. Huc accesserunt excerpta codicis, quem littera W notavimus, et quem olim cum Cl. Almelovenio communicaverat amplissimus Johannes *de Wit*, amicus nobis olim summus, et magni illius

libertatis et legum patriarum vindicis non degener futurus filius, nisi eum florentissimo Belgii statui invidissent acerba fata. Colbertinorum et S. Victoris codicum varietates Obrechto, Gronoviani Cl. Schultingio debentur. Ad minores Declamationes emendandas nulli antiqui codices affuere. Sed ex bibliothecæ Leidensis pluteis protulimus excerpta ex Quintiliano, quorum ope loca quædam majorum Declamationum aliter posse constitui atque hodie leguntur, nullus dubito, sed nobis temporis penuria laborantibus, et Ovidianæ majori cum voluptate musæ operantibus, non vacabat hæc accuratius excutere. Quis auctor horum excerptorum sit, non liquet, sed eum, qui confecit Catalogum Bibliothecæ Leidensis, pag. 385, suspicari video, esse Adelardum Bathoniensem, quia his excerptis subjicitur colloquii inter Adelardum et nepotem de causis rerum fragmentum, et quod inscribitur Ricardo Bajocensi episcopo, quos ego omnes penitus ignorare me fateor. At superesse etiam multa adhuc in bibliothecis Declamationum manu exarata exemplaria, nullus dubito, et in indicibus bibliothecarum memorari video: sed non accurate satis excussisse Cl. Fabricium editionem Oxoniensem anni 1692, quam ille ad MSS. codices recensuisse virum doctum refert, patebit facile lectori, qui nullas in eis novi codicis discrepantes lectiones notatas videbit, sed omnes ex prioribus editionibus, et notis et conjecturis Gronovii et aliorum varietates, pro MS. codicum lectionibus venditari. In minores Declamationes sine more grassatus est Ærodius, qui, nullius codicis auctoritate fretus, omnia pro arbitrio immutavit, et addendo, detrahendo, longe diversas nobis exhibuit a prius editis Declamationes. Pithœus unius codicis præsidio pauca quædam emendavit, et nova accessione volumen locupletavit. Vidi etiam viros doctos jactare, se possedisse diversa quædam ab editis exemplaria. Ita Ulricum Fabricium, summum olim JCtum

et Trevirensis episcopi consiliarium et in Hispaniam legatum, habuisse alium et diversum codicem narrat Barthius ad Pap. Statii Theb. lib. IX, 169, qui et memorat Rodolphum Agricolam habuisse opus aliquod altercationum Quintiliani, ut jactat lib. III de Invent. cap. 15, et Basilium Fabrum, cujus Thesaurus linguæ latinæ quum maxime celebratur, aliquot centenas Fabii Declamationes habuisse et Oporino excudendas dedisse: sed de quibus existimandi nulla est facultas, quia interciderunt, nec in lucem exierunt.

De editis, nihil fere monere attinet, quum eos codices tantum adhibuerimus, qui cura virorum doctorum recensiti, non ad verbum ex prioribus descripti esse videbantur: et quum hujus laboris in libros de Institutione Oratoria magnam jam partem præcepisset summæ vir industriæ, Edmundus Gibson, nos analecta quædam et spicilegia tantum adjecerimus. Puto vero maximam illos ab eruditis gratiam inire, qui ex bibliothecarum codicibus, tam scriptis, quam olim editis, discrepantes cum orbe erudito lectiones communicant: in quo opere principes ab aliquo tempore Britanniæ eruditos celebramus et laudamus, qui quum et publicas et privatas bibliothecas immenso scriptorum, et rarissimorum, primis typographicæ artis initiis excusorum, codicum numero instructas frequentent, tot editiones emiserunt hac sola dote commendabiles. Quam operam non suo pretio multos æstimare video, quum quotidianis illis editionibus, quæ tot inficetis et puerilibus adnotatiunculis commaculantur, immensum quantum sint præferendæ illæ, quæ diversas MSS. lectiones solas exhibent. Alterum enim quivis, etiam ex plebe et infimis litteratorum subselliis inter eruditos præstare facile potest et audet, sed thesauris illis, quos MSS. exemplaria interioribus litteris excultis aperiunt, eleganter et sapienter uti non cujuslibet est ingenii, sed illis modo contingit, qui, acu-

mine mentis, longa exercitatione et variæ eruditionis opibus præditi, veram statim scriptoris manum ab adulterina discernere, et sensum reconditum eruere possunt: et hinc etiam eruditissimi, quibus non semper felicitas illa MSS. codices conferendi contingere potest, sæpe misere labi, et errores, quos nunquam inspectis veteribus exemplaribus admisissent, in publicum edere solent, quorum pudere eos postea est necesse. Ideoque si doctorum virorum in libris edendis sola ratio habenda foret, non alia accessione ulli libri essent locupletandi, nisi exactissima, etiam ad superstitionem usque, variantis scripturæ descriptione. Nam inde doctis viris planus satis et apertus verborum sensus allucesceret, et commentarii sponte inter legendum nascerentur, quos nunc, quia et in mediocriter eruditorum, et alienorum etiam a criticis his ferculis usum procurari debent editiones, magno verborum ambitu cumulare coguntur. Quare nos, ut utrisque una opera satisfieret, et Britannorum diligentiam æmulati, varias lectiones magna copia collegimus, ut habeant eruditi, in quo acumen ingenii, et perspicaciam in vitiis detegendis exerceant, notas deinde, undique nostro judicio collectas, et quasdam etiam nobis natas, quibus obscurioribus rebus aut loquendi modis lux affundi posset, ipsis auctoris verbis, genio etiam seculi obsecuti, subjecimus. Ut vero et notarum, quas corrasimus undique, ratio reddatur, ex prioribus et antiquissimis commentatoribus, Raphaele Regio et Badio Ascensio (nam de Campani, Hermolai Barbari, Omniboni Leoniceni, Politiani, aut etiam Laurentii Vallæ notis vel emendationibus, destituti primis illis editionibus, quæ sub eorum nominibus dicuntur emissæ, nulla existimandi nobis fuit copia), ea tantum selegimus, quæ nobis antiquæ lectionis vestigia exhiberent, et docerent, quo modo et gradu in sequentes editiones virorum doctorum emendationes pervaserint, et ita cœperint pos-

teriores a prioribus editionibus discrepare. Nam commentarios conscribere, quibus ex diversis rhetorices magistris vel similes vel discrepantes a Fabio sententias congestas daremus, otio abutentis esse credebamus. Regium vero habuisse Vallæ, qui Poggii exemplar descripserat, eique notationes adjecerat, codicem, et inde furto sibi quædam sublegisse sæpe exprobrat ipsi Badius. Vide ad lib. V, Instt. 2 et 8; IX, 3; X, 3, et alibi: et certe multa eum emendare, quæ viri docti in Italia in ipso Poggii codice satis vitioso, jam mutanda censuerant, passim liquet. Regii tamen emendationes proximæ quæque editiones secutæ esse videntur, ideoque præstaret editiones primas, quæ ad ipsum codicem sunt descriptæ, in consilium adhibere, sed earum nullam consequi potuimus, ante Locatelli Venetam, quæ a. 1493, prodiit cum Raphaelis Regii notis. Aldum etiam Raphaelis vestigiis ubique insistere fere deprehendi, nisi quod Badius notet, ad lib. I, cap. 14, eum in tribus prioribus libris antiquiores Regio codices secutum, quum nondum viderat Regii commentarios; sed incredibile nobis accidit, Aldum, cujus prima editio prodiit 1514, non vidisse Regii commentarios, qui jam ante viginti annos prodierant. Idque magis extra speciem veri videbitur, si quis credat Naugerium præfuisse editioni Aldinæ, ut ipse Aldus, sed comitem et adjutorem ei dans Johannem Baptistam Rhamnusium, præfatione sua jactat: quos tamen non aliam curam illi adhibuisse dicit, nisi, ut dum typis excuderetur Fabius, cursim errores emendarent: ex Petri Mosellani commentario, qui cum septimo libro finitur, pauciora selegimus, et quæ proposito meo facere videbantur, relictis iis, quæ seculi nostri progressibus non multum conferre posse judicabam: nam non male de hujus viri laboribus Quintiliano impensis judicasse mihi Antonius Pinus est visus, initio suorum commentariorum in lib. III: « Illum designasse potius opus, quod multis struc-

« toribus (an structionibus?) erat absoluturus, nisi vitam « fortuna invidisset. » Ipsius etiam Antonii Pini commentarium in librum tertium, ne integrum describi juberem, partim moles, partim institutum ejus a nostro diversum, dissuasit. Ipse enim conquisitis undique subsidiis ex rhetoribus et oratoribus ipsa præcepta eloquentiæ illustrare conatus est, quod quum putidum, et non tam necessarium edenti libros, quam rhetoricen docenti putemus, nos tantum verba Fabii recte constituere, et luce quadam perfundere conati sumus, et ideo illa solummodo etiam ex Pino, quibus idem studet, excerpsimus. Ex Camerarii et Sichardi scholiis etiam præcipua in hanc editionem transcripsimus, in quibus forte aliquando error poterit esse commissus, ut nimirum Camerarii et Sichardi notulæ fuerint confusæ: nam quum sub nomine Camerarii modo notas in duos priores libros repererim in editione Vascosani, sive Audoeni Parvi Paris. 1549, et reliquæ Basileenses et Colonienses in fronte Camerarii et Sichardi notas sine discrimine se exhibere profiteantur, hinc sæpe dubius hæsi, utri adscriberem; plerumque tamen Sichardo malui tribuere; præcipue post librum secundum, licet videam Robortellum in Disputat. tom. II, Facis Critic. p. 18; et Sigon. p. 149, ut Camerarii quædam producere ad lib. VIII Fabii: ideoque, et si hic quid sit commissum, ut mihi post alios sit venia, contendo. Turnebi integras notas, ut ediderunt olim Parisienses, subjeci magis, ne quid detraxisse Leidensi editioni viderer, quod typographi præcipue caverant, quam ut mihi persuadeam dignas Turnebi eruditione et fama esse; tot enim inepte et indocte etiam dicta in illis notis offendi, quæ hic recensere nihil attinet, quum id suis sæpe locis factum sit, ut nunquam a viro tam docto profectas esse credam, nisi quis tironi alicui dictatas esse, et male exceptas, pejusque descriptas esse velit existimare. Philandri tenues quidem et non multi operis notulas ideo non ne-

gleximus, quia illum conquirendo loca, quibus Fabius utitur, multum nobis laboris præcepisse, et non inutilem operam lectoribus et commoditatem præstitisse credebam. Hunc etiam uberiorem adornasse commentarium, qui Divione servabatur, Heinsio scribens Bigotius 23 mart. 1663 suspicionem injicit. Parei notas ideo non negleximus, partim quia Leidensis editio exhibebat, partim quia maximam partem conflatæ sunt ex virorum doctorum observationibus et operibus criticis, quæ sine dubio citanda tamen fuissent. Joh. Fred. Gronovio utinam majus otium fuisset, quod Fabio ejusque illustrationi impendere potuisset! non minus certe ei, quam Livius, Tacitus, et tot alii, qui ipsi salutem fere et integritatem debent, veteris ævi auctores, Quintilianus debuisset. Nunc quum paucæ admodum sint ejus notæ, et dum imprimeretur jam Fabius, properatæ, jure dolemus tam salutarem manum nostro rhetori defuisse. De editione vero Leidensi, quæ nullas fere, nisi Parei et Turnebi notas, et paucas aliunde corrasas continet, et quæ a Schrevelio fuit curata, quid censuerit Emericus Bigotius, qui illi meliora subsidia obtulerat, operæ pretium est cognoscere ex epistola ad Heinsium, in Suecia commorantem, 25 maii 1663, scripta. In qua, quum in prioribus epistolis operam suam ad quædam ornandæ novæ editioni suppeditanda obtulisset, ita scribit: « *Monsieur Schrevelius a commencé une nouvelle édition des Institutions de Quintilien, dont il m'a envoyé la première feuille. Je voudrais que messieurs Elzevir vous en eussent fait autant, je vous prierais de m'en dire votre sentiment. J'en écris le mien à M. Schrevelius librement, et comme je crois être obligé pour son honneur, lui qui est très bon homme, et pour l'intérêt de l'imprimeur. Il me semble que cette édition ne se doit point continuer, comme elle est commencée : elle ne contient quasi que les notes d'un certain Pareus, qui sont la plupart très sottes et impertinentes. S'il me croit, je lui écris qu'il*

surseoie cette édition, et que je lui enverrai un exemplaire corrigé par Pierre Pithou sur un MS.; quelques petites notes de Passerat; et Gujet MSS. De plus, qu'il y doit ajouter les notes de Turnebus, imprimées à Paris, sans nom, in-4°; celles de Philander, imprimées par Gryphe; et un choix de celles de Camerarius, Mosellanus, et autres. Qu'il ne faut point précipiter cette édition, et que toutes ces choses méritent bien qu'on attende. » Ex sequentibus deinde epistolis video Hackio fuisse transmissa hæc a Bigotio, sed nihil inde ignaro harum deliciarum Schrevelio placuisse, nisi quod aliquando Passeratii aut Pithœi nomine notulam non optimam subjecerit, et quod indicem amplissimum verborum et locutionum noluerit suæ editioni addere. De qua negligentia sæpe apud Heinsium queritur vir natus ad juvanda bonarum artium studia, sibique remitti sua postulat, quæ quo abierint nescio: nam nobis ea consequendi felicitas defuit, et quum Lutetiæ ante quinque annos versaremur, frustra in quas illa manus transierint, indagavimus. Dolet vero maxime periisse Pithœi variantes lectiones et emendationes, nihilque tanti viri nobiscum communicatum, nisi levissimas quasdam notulas, hic et illic adductas, quibus facile potuissemus carere. Superest ergo ut nunc, quid novi, et quo se præ Leidensi commendare possit, nostræ editioni accesserit enarremus. Ac primum multum nos debere profitemur benevolentiæ et prolixo erga studia elegantiora, etiam supra communem captum sui ordinis virorum, animo viri reverendi et doctissimi Henrici Sypesteinii, Doornensis in agro Trajectino ecclesiæ moderatoris, qui quum arctissimo olim cum celeberrimo Theodoro Janssonio ab *Almeloveen* amicitiæ vinculo conjunctus vixisset, supremo ejus judicio scripta doctissimi viri manu omnia fuit consecutus. Hic nobis liberaliter et sponte obtulit exemplar Quintiliani, in quod magnam congesserat silvam vir clarissimus, ex qua ædificium ali-

quod dignum ejus eruditione exstruere cogitaverat, si longior ipsi vita superfuisset. Quia vero in ingentem illam struem plurima, ut fieri solet, dum alia legimus et observamus, fuere conjecta, quæ postea accuratius ad examen omnia revocans forte recidisset, nos quoque non omnia ausi fuimus publicare, sed illa tantum, quæ instituto nostro favere, et ejus famæ et eruditioni respondere credebamus: et hinc omissis sæpe longe repetitis diversorum scriptorum verbis, in compendium ejus notas contraximus, ut et laborem describendi, et molis, jam nimis excrescente libro, accessionem lucrifaceremus; locis tamen auctorum, quæ ad rem facere videbantur, indicatis, ita ut nihil dignum memoria sit abjectum; immo quum sæpe eadem, a me jam olim aliorum auctorum loca illustrando Fabio annotante, fuerint observata, illa potius sub Almelovenii, quam nostro legi malui, ne vel minimam plagii suspicionem incurrerem. Benignitate deinde amplissimorum urbis Ultrajecti consulum, ex publica bibliotheca, cui omnia, quæ possidebat typis excusa Quintiliani volumina, legaverat Almelovenius, editiones, quæ nobis deerant, commodare quum licuerit, inter alias reperimus et Parisiensem Joh. Roignii, cui vir reverendus Gallæus, Servati Gallæi, cui Sibyllinorum Carminum editionem debemus, filius, plurima adscripserat, quibus medicinam affectis Fabii locis afferre conabatur: unde plurima descripsimus, quamvis licentius sæpe grassari nobis videatur. A celeberrimo etiam Johanne Bouersio, qui litteras humaniores magna cum laude apud Daventrienses profitetur, accepimus codicem, qui olim Petri Francii fuit, et cujus margini plurimas in Institutiones et Declamationes emendationes vir clarissimus adjecerat, quas suo pretio lector æstimabit. His undique collectis adjecimus, quæ nostra diligentia ex doctorum observationibus, variis lectionibus et id genus libris observata erant, ut locupletior et commendatior prioribus exiret

nostra editio, nostrasque hic et illic notas intermiscuimus, de quibus benigna eruditi orbis judicia, et si quid in tam molesto et longo labore admissum negligentia fuerit, veniam speramus. In Declamationibus majoribus illustrandis parum nobis affuit subsidii: nam editiones veteres præter unam, quam Venetiis 1481 edidit Lucas, et qua priorem non novimus aliam, nullam contulimus, sed ex Gryphii, Colinæi, Vidovei et Pithœi, si quid variarent, editionibus annotare non negleximus. Notas vero in Declamationes majores quum præter Ascensium neminem edidisse noverimus, ex illis tantum excerpsimus, quæ de discrepantibus lectionibus aliquid monerent. Magni autem J. Fr. Gronovii in utrasque Declamationes paucas, quibus solis se efferre Leidensis editio potest, minime negleximus, licet illas virum summum, ad quem, mortuo Schrevelio, secundi tomi curam Hackius detulerat, properasse ipsius indicio ad Livii lib. XL, cap. 13, didicerimus. Sed ut constet publice, quam summus Gronovius, cui perperam Leidensem editionem utriusque etiam voluminis adscribunt vulgo (vid. Act. Lips. a. 1697, pag. 547) curam adhibuerit, ex inedita ejus, quales innumeras habeo, ad Nic. Heinsium id. novemb. 1664, data epistola sequentia proferre placuit: «Scis patrem illum τῶν κυκλώνων (Schrevelium) solum ex «tanta familia pestilenti sidere abreptum, Quintiliani «opera, Bigotio potissimum instigante, suscepta, desti«tuisse. De Institutionibus neque consuluit me, neque «ego, nisi quod vivo pauculas conjecturas dedi, me im«misceo: sed Declamationes misere periissent, nisi ultro «manum admovissem. Persuaserat sibi Ærodii editionem «Pithœanæ præstare: et hoc etiam typographo inculcave«rat, qui secure post mortem hominis eam dederat operis «exprimendam. At Pithœana et auctior est, et multis par«tibus e vett. scriptis emendatior: ne dicam Ærodium sibi «jus fecisse totos versus, non solum vocabula, inserendi

« ad sententiam complendam. Sed quibus nunc vulgo Pi-
« thœanis utimur, eæ tot scatent operarum culpis, ut ægre
« tanti viri nomen sustineant, et in contrarium quinquies
« aut sexies integras periodos, quæ in Thaddæi Ugoleti
« editione legebantur, et sine dubio auctoris sunt, dissi-
« mulent. Inter hanc Scyllam et Charybdim ut medium
« tenerent, frustra docebam homines imperitos : ipsum me
« oportuit ire viam, hoc est, ex tribus illis exemplaribus
« parare unum manu mea interlitum, cui subjiciuntur Æro-
« dii, Pithœi, meæ notæ : habeo enim satis multas jam ex
« quo M. Senecam recensui. Ita rursus in pistrinum con-
« jectus fui. » Sed ingens accessio et lux potuisset his et minoribus Declamationibus obvenire, nisi in optima vitæ parte invida litteris fata intercepissent virum egregium, Johannem Schultingium, cujus eruditionis et bonæ frugis plenissimas in Senecæ Rhetoris reliqua notas jam olim summo cum applausu orbis eruditus excepit. Destinaverat vir celeberrimus eodem exemplo in has et Calpurnii Declamationes commentarium uberrimum elaborare, et ex amplissima materia, quam in chartam conjecerat, plenum et perfectum corpus exstruere, idque jam paucis ante mortem diebus facere instituerat, sed vix primæ Declamationis partem absolverat, cum abrupto vitæ hujus filo, incœptum opus reliquit. Quare quum nos beneficio celeberrimi viri, Antonii Schultingii, filii ejus, et jurisconsulti et litteratoris eximii, amicique et collegæ nobis conjunctissimi, ejus schedas accepissemus, molestissimum laborem ex difficillima scriptura, et laceris sæpe et bibulis chartis, quibus perturbato satis ordine cogitata sua commiserat vir doctissimus, omnia digerendi non detrectavimus, ut hac nova dote nostra editio se eruditis commendaret. In minoribus præter breves Pithœi, paratæ nobis fuere Petri Ærodii majoris molis notæ, quas, quum et Hackius ediderit, nobis omittere religio fuit, licet ejus

temeritatem et audaciam, quam præsertim in ipsis verbis Declamationum mutandis, addendis, et quidlibet effingendo minime probemus. In Calpurnio nihil præter eorumdem Pithœi et Schultingii notas reperire licuit. Hæc fere sunt, amice lector, de quibus moneri te opus erat, ut scires quanti nobis constiterit laboriosa hæc provincia, quam nobis imponi passi sumus, in qua si quid vel vitio humanæ mentis, vel negligentia, vel alio casu, peccatum fuerit, ut potius quid boni reipublicæ litterariæ præstiterim, quam quid omiserim vel non accurate satis animadverterim, æstimare velis, vehementer rogo. Ignoscent facile, scio, illi, qui simili pistrino inclusi, meminerint, quam tædii et ingrati laboris plenum sit opus, magnum scriptorum manu et typis codicum numerum eodem temporis puncto, non dico inspicere et percurrere, sed eorum omnium diversas lectiones difficiles, et sæpe oculorum aciem fugientes et fallentes litterarum formas, et ipsos apices perlustrare et excutere: quam tenaci et præsenti opus sit memoria, ne unius codicis scriptura cum vicini confundatur, quam continua opus sit intentione, et ut nunquam fere medio in opere avoceris, nec animum dividas alio, norunt soli, qui in hoc ergastulum fuere conjecti.

Finem præfandi jam facturus eram, quum relegenti quæ scripseram occurrit, nullam me meritorum summi viri Ulrici Obrechti mentionem fecisse, cujus cura Argentorati, anno 1698 Quintiliani nova editio, ad MSS. diligenter recensita prodiit, et quam nos semper fere ante oculos habuimus, licet in progressu, paucas aliquando, et diversas ab eo editas, lectiones, a nobis tot aliis curis intentis, præteritas deprehenderim. Utinam fata, quæ mortem eruditissimo, et multis meritis in litteras insigni viro etiam properarunt, non invidissent nobis amplissimum, quem parabat, commentarium, quibus immutatæ tam frequenter, et sæpe nimis, ut nunc videtur, audaciter scripturæ

rationem nobis reddidisset. Nulli dubitamus, quin plurimis locis insignem lucem affudisset, et in suam sententiam nos hæsitantes descendere coegisset, qui nunc, ad nuda Quintiliani, ut ab eo edita fuere, verba toties hæsimus, nec potuimus conjecturas, ut videtur, temerarias, nec satis confirmatas amplecti. Nova etiam, et quam demum profligata jam multum nostra vidimus, Lutetiæ anno 1715 prodiit Quintiliani editio, cura Caroli Rollini, eloquentiæ professoris regii, qui quum videret pueros et adolescentes pervulgatis de rhetorum arte libris abduci a lectione Fabii, quem unicum eloquentiæ magistrum illis in manus dari vellet, sibi proposuit libros de Institutione Oratoria contrahere, recisis illis, quæ subtiliora et perplexa magis esse videbantur, ea mente, ut non alio rhetore, quam Fabio discipuli uterentur. Quod equidem consilium longe absit ut damnem, quin potius omni studio id agendum esse eloquentiæ magistris contendo, ut continua lectione et meditatione Quintiliani præcepta juvenum animis infigantur; an tamen, mutilato quartam fere partem Quintiliano, eum finem obtinere possit vir optimus, vehementer dubito. Nam assueti a prima ætate adolescentes contracto rhetore uti, non facile ad integrum legendum allici posse videntur; sed læti sibi laboris compendium fieri, in eo solo plurimi hærebunt. Quare nescio, an melius fecisset Cl. Rollinus, si integrum editurus Quintilianum, ea quæ tractanda et exponenda tantum a magistris judicasset, diversa litterarum forma excudi jussisset, ut ita oculis semper exposita diligentiores discipuli haberent, quæ domi et a magistris dimissi, per se possent legere. Nunc periculum esse videtur, ne contenti hoc compendio et editione, reliqua ut minus necessaria, ipso judice magistro, negligant. Majorem etiam vellem doctorum habuisset rationem virorum, nec laborem refugisset varias regiorum et Colbertinorum codicum lectiones publicandi, sed Britannorum

exempla maluisset imitari, qui thesauros suarum bibliothecarum etiam cum exteris tam liberaliter communicant. Quidquid tamen sit, optimam viri eruditi voluntatem, qua relegatis a publica disciplina plebeiis et ineptis rhetoribus, solum Fabium versandum studiosorum manibus esse voluit, laudandam esse putamus, cujus voti ut non modo ille, sed nos omnes compotes fiamus, et ut mos ille antiquus non in Galliarum modo scholas, in quibus olim Fabii Institutiones Oratorias exponi solitas testatur Muretus, lib. XVIII, Var. lect. cap. 20, sed in nostras et totius litterati orbis, reducatur, vehementer exoptamus. Sed ut id Galliæ, aliisque regionibus, ubi Pontificis romani ejusque ministrorum auctoritas prævalet, contingat, prius id Jesuitarum ordini, penes quem fere arbitrium et regnum scholarum et institutionis juvenilis est, persuadeat Rollinus, necessarium credo: illis enim, qui ubique pro antiquis et optimis quarumcunque artium magistris, quos expulerunt suis gymnasiis, virorum suæ familiæ fœtus et opera manibus adolescentium versanda dederunt, maximam partem Italia, Hispania et alia regna, in quibus eorum valet auctoritas, debent, quod veræ et solidæ eruditionis instrumenta et decora dudum perdiderint, et sensim, quod callidissimi ignorantiæ patroni intendunt, ad antiquam barbariem secula relabantur. Sed hæc nunc latius ostendere non vacat: melius saltem consuluissent Jesuitæ eloquentiæ, si jam ipse Fabius longior et mole sua juvenibus minus accommodatus videretur, si epitomen Quintiliani, a Jona philologo olim concinnatam, et typis Roberti Stephani anno 1547 excusam, ediscendam adolescentibus dedissent, et ita ad ipsum Fabium aditum fecissent.

Dialogum de Oratoribus, sive de Causis corruptæ eloquentiæ, non adjecimus, quia minime a Quintiliano, licet ejus nomine non indignus esset, profectum esse credimus: cujus opinionis, quam plurimi sequuntur, rationes hic

exponere nihil attinet. Præterea quum ille passim editionibus Taciti, et quibusdam Quintiliani subjiciatur, nihilque novi præsidii aut ornamenti, quo illud opusculum decorare possemus, nobis ad manum esset, brevique etiam nova Taciti editio sit proditura, inutile videbatur eisdem notis illustratum dialogum bis, eodem fere tempore, producere. Præterea jam defatigaverat me diu satis, per sex fere annos hac editione protracta, Quintiliano impensus labor; et totum me poscebat Ovidius, poeta a puero mihi amatus, quem brevi, ea cura et industria emendatum, qua par est, erudito orbi me expositurum esse spero. Indices typographus conficiendos aliis locavit, ideoque si vel non ampli, vel non accurati satis quibusdam videntur, mihi ne adscribat lector, rogo, ut et, si quid in ipsis Quintiliani verbis aut notis sit errore aut correctorum, aut meo admissum, potius per te corrigas, quam negligentiæ supinæ reum me agas. Vale, et conatibus nostris favere perge.

XVI.

CLAUDII CAPPERONNERII

PRÆFATIO

AD CARDINALEM *DE FLEURY.*

(1725.)

QUANTUM non ad eloquentiam modo, sed ad omnem etiam philologicam eruditionem conferre possint M. Fabii

Quintiliani de Institutione Oratoria libri duodecim, si magna cum accuratione in lucem edantur, hominem litteratum, qui ignoret, arbitror esse neminem. Quidquid etiam grammatica de emendate loquendi ratione tradit accuratius, quidquid rhetorica de ornate dicendi methodo præcipit luculentius, quidquid dialectica de arte disserendi subtiliter docet acutius, quidquid morum doctrina de pueris sancte instituendis utilius præscribit, quidquid rhetores græci[1] latinique[2] ad excolendam eloquentiam invenerunt aut inventis addiderunt, hæc omnia uno in Quintiliano facile deprehendunt, qui ejus libros ita legunt, ut intelligant. Sed mirum, immo et miserum est, post quatuor minimum et octoginta editiones, id Fabium necdum obtinuisse, quod et a bibliopola suo Tryphone postulabat, ut hi libri in manus hominum quam emendatissimi venirent, et operis difficillimi natura flagitabat, ut obscuriora saltem loca luculentissimis interpretationibus illustrarentur. Cur autem ita male habitus fuerit auctor præstantissimus, duas præsertim causas afferre mihi videor.

Prima est, quod pauci admodum Quintilianei operis codices MSS. reperiantur, iique fere omnes recentioris ætatis, et maximam partem ex primo illo transcripti, quem Poggius anno 1416 in San-Gallensi monasterio repertum in Italiam misit: sed in Angliam nescio quo fato translatum

1. Gorgias videlicet, Prodicus, Protagoras, Antipho, Isocrates, Aristoteles, Theophrastus, Demetrius, Hermagoras uterque, Dionysius Halicarnassensis, Apollodorus, Theodorus, Hermogenes, Longinus, Alexander Numenius, Phæbammon, Minucianus, Apsines, Aphthonicus, Theon, Georgius Diæretes, etc.

2. Cicero nimirum, Cornificius, Gallio, Celsus, Lenas, Virginius, Rutilius Lupus, Aquila Romanus, Rufinianus, Fortunatianus, Marius Victorinus, Sulpitius Victor, Emporius, Aurelius Augustinus, Severianus, Priscianus, Cassiodorus Sosipater, Diomedes, Donatus, Servius, Martianus Capella, Isidorus, Beda, Alcuinus, etc.

fuisse aiunt; Londinique in Sunderlandiæ Comitis bibliotheca nunc asservari. Hic porro codex quot quantisque scateat mendis, et lacunis deturpetur, ex quinque primis editionibus, Romæ, Venetiis, Mediolani, Tarvisii, ante vulgatas Raphaelis Regii notas, factis, apparet.

Altera, quod quum Quintiliani Oratoria Institutio universam Græcorum Latinorum *technologiam* complectatur, qui rhetori huic edendo vel explicando navare operam volebant, eos oportebat veteris philologiæ peritissimos esse; rhetoras græcos quidem, vel ab Aldo editos, vel in bibliothecarum forulis delitescentes; Latinos autem vel e Pithœana bibliotheca in lucem emissos, vel alibi exstantes cum alieni argumenti libris; grammaticos omnes, aut eos saltem, quos Putschiana editio exhibet; scholiastas, etymologos, lexicographos utriusque linguæ; poeticæ metricæque rei scriptores; dialecticos, præter Aristotelem, qui apud Diogenem Laertium passim occurrunt; juris quoque consultos quosdam, historicos, philosophos prope omnes non legisse solum, sed etiam intellexisse: immo ne in musica quidem aut geometria hospites esse ac peregrinos decebat. Scaligeros utique, Budæos, Victorios, Turnebos veri nominis, pseudonymus enim est qui notas in Fabium scripsit, Muretos, Casaubonos, Salmasios, etc. tantæ molis opus exposcebat. Hi tamen aut nihil aut perpauca, idque obiter, quæ ad quarumdam Fabii locutionum explanationem facerent, conscripserunt.

Sua quidem laude fraudandus non est Raphael Regius, qui multa Quintiliani loca nativæ integritati, dubium an ingeniosius, an doctius, restituerit: sed præterquam quod plurima reliquit incurata, in spissos etiam errores, ut in notarum decursu palam fiet, vir eruditus interdum impegit: quod et longe potiori jure dictum de scriptore commentariorum, quos nescio quis, magni Turnebi nomen ementitus, et orbi litterario fucum faciens, evulgavit. Hic

enim tot et tanta infarsit, quæ cum veris veri Turnebi elucubrationibus aperte pugnant, ut impudentissimus impostor, omnes verecundiæ fines merito transiliisse existimetur. Adde quod in philologicis et technicis locutionibus non raro caligat; in iis quæ ad jus pertinent, aliquando plane cæcutit: quibus vitiis obnoxium fuisse Adrianum Turnebum nemo dixerit. Denique hosce commentarios Turnebo perperam adscribi, satis, opinor, liquet ex quodam regiæ bibliothecæ exemplari an. 1554, edito. Nam ibi quum ad ipsum tituli caput aliena manu adjectæ fuissent hæ duæ voces *Adriani Turnebi*, verso folio chartulam agglutinavit Jacobus Mentelius Castro-Theodoricensis, doctor medicus Parisiensis, multis operibus editis clarus (obiit an. 1670), et impostoris fraudem detexit ac divulgavit his verbis in inferiore margine referendis [1].

Petrus Mosellanus in septem priores Quintiliani libros annotationes congessit, in quibus et scholiasten potius, quam justum interpretem egit, et tota via sæpius aberravit. Joachimus Camerarius in primum et secundum librum meliora quidem et tutiora, sed tam pauca scripsit, ut nonnisi promulsidem quamdam propinarit, et lectorum sitim accenderit magis, quam exstinxerit. Idem esto de Phi-

1. Anno 1586 Thomas Brumenius typographus Parisiensis nactus, ut est maxime probabile, quam plurima commentarii in Quintilianum hujusce exemplaria, duo male præstitit, quo ea carius et facilius vænirent: primum quidem quod mutaverit hanc, quam vides paginam in hæc verba: *In M. Fabii Quintiliani, oratoris præstantissimi XII libros Institutionum Oratoriarum breves admodum et elegantes commentarii, quos Adriano Turnebo, viro doctissimo plerique passim volunt adscribi, nunc demum ab omni typographiæ labe in studiosæ juventutis gratiam purgati.* Secundum, quod epistolæ, quam Thomas Richardus, præsentis editionis artifex folio altero expressit, se esse auctorem, primumque commentarii hujus editorem nullo pudore asseveraverit: in qua certe re et candorem et judicium requirimus. Habuerit velim jus illum vendendi ut suum: at non habuit sane viris doctis imponendi, Turnebique gloriæ ita insidiandi: neque enim ille unquam hæc commentatus est Turnebus.

landri recognitione et castigationibus judicium. Antonius Pinus contrario prorsus instituto prolixos et prægrandes in tertium solummodo librum Commentarios accumulavit, ubi sæpissime ὑπὲρ τὰ ἑστραμμένα exsiliit, et Fabii mentem operit potius, quam aperit. Quæ præter hos Merula, Badius Ascensius, Sichardus, Barthius, Pithœus, Gebhardus, Pareus, Colomesius, Galleus, Gibson, Obrechtus, Almelovenius, etc. ad Fabianam Institutionem enucleandam contulerunt, ea neque ad justi perpetuique commentarii titulum accedere, neque difficiliora Quintiliani loca satis explicare potuerunt.

Adolescentibus quidem rhetoricarum artium studiosis, gratum opus fecit clarissimus Rollinus, collega noster, qui mutilum et quasi decurtatum Fabium cum brevibus notis e Turnebiano interprete magnam partem excerptis edidit. Nec satis pro merito laudari potest eloquentissimi viri consilium, qui « brevia eloquentiæ docendæ compendia mon« strare » omnino studuit; et luculentissimam ac diligentissime elaboratam præfationem Quintiliani libris præmisit, quæ de ipsa eloquentia et de præcipuis rhetoricarum artium magistris, ipsoque præsertim Quintiliano eleganter æque ac facunde disseruit: unde operæ pretium facturum esse me arbitratus sum, si eam in hac editione typis reddendam curarem. Sed Rollini Fabius, brevis esse dum laborat, ne fiat obscurus, vereor; contextus enim seriem abrumpit; quædam habet, quæ quum ad resecta loca referantur, quo demum referenda sunt, nescias; nonnullas etiam, quibus ipsa series contextus melius constaret, intrusas dictiones adscititiasque continet. Quibus incommodis, aliisque longe gravioribus obnoxia erat etiam illa Fabianæ Institutionis epitome, quam Parisiis, anno 1548 Jonas philologus auctor emisit. Sic fere fiunt illa, ut merito dixerit quis, *dispendiosa compendia.*

Omne punctum tulisse videbatur eruditus Burmannus

in ea Quintiliani editione, quam elegantibus typis non ita pridem curavit adornandam. Habenda ipsi et agenda gratia e . quod omnium fere antiquarum editionum seriem contexuerit, multas præfationes præmiserit, et Dodwelli Annales subjunxerit, ex quibus de Quintiliani ætate, vita, moribus, doctrina, scriptis et virtutibus abunde constaret; varias editorum et MSS. codicum lectiones adscripserit, variorum interpretum apposuerit notas, quibus ipse suas multa semper, aliquando tamen inconsulta eruditione refertas, adjunxit. Quin immo Burmanniana editio, sive ad Quintiliani contextum, sive ad notas respexeris, longissime abest a perfecta, et numeris omnibus absoluta, qualem respublica litteraria quodam jure suo expetit, et pluribus abhinc annis exspectat. Ut enim typographica sphalmata in erratorum indice omissa præteream, quinque sunt maxima hujus editionis vitia, quæ me ad Oratoriam Fabii Institutionem prælo reddendam, ut emendatior textus, accuratiores notæ, technicæ loquendi formulæ intellectu faciliores tandem aliquando prodirent, compulerunt.

Nam primo quidem plurimas lectiones depravatas, et interpungendi notulas perperam appositas ita reliquit doctus editor, ut neque in ipsis, quas adjunxit, variorum interpretationibus, veram lectionem, et interpungendi rationem deprehendere possimus.....

2° Burmannus depravatas lectiones in ipso Quintiliani contextu sæpius reliquit; bonas autem in notis, ubi cum aliis deterioribus promiscue leguntur, indicare satis habuit: quod et aliis scriptoribus a Burmanno editis factum fuisse merito queruntur eruditi, et accuratæ critices canonibus quanto adversetur opere, nemo est qui nesciat.....

3° In Burmannæa editione innumerus est variantium lectionum numerus, quarum pleræque in supinas dormitantium scribarum hallucinationes videntur esse refun

dendæ: quod quantum a recta critices ratione abhorreat, nemo non facile perspicit.....

4° Burmannus congestas in Quintiliani contextum notas plurimis infarsit interpretationibus, quarum aliæ ad rem non pertinent, aliæ Fabii mentem obscurant potius, quam illustrant; aliæ gravissimis etiam scatent erroribus; quædam græcas locutiones latine non tam vertunt, quam pervertunt: quas quidem perversas interpretationes tantum abest, ut emendarit, ut suis aliquando adauxerit.....

5° Quæ Fabius intellectu difficillima continet, technicas videlicet veterum philologorum, et maxime rhetorum dictiones, itemque loquendi formulas, ea Burmannus explicare non curavit. Ejusmodi sunt quæ primo libro de grammaticis rebus disseruntur, varia variorum rhetorum, et ipsius Quintiliani de oratoriarum quæstionum statibus systemata.....

Quum enim et rhetorica sit ars, et arti cuilibet sua sint propria verba et peculiares loquendi formulæ, quæ nisi recte percipiantur, nullus ad artis ipsius cognitionem aditus patere possit; palam omnibus est, quantum studii ac laboris impendendum sit, ut illa veterum rhetorum vocabula et loquendi genera, quæ technica lubet appellare, accuratius explicentur, et ab omnibus philologis addiscantur. Atque id quidem eo magis necessarium hodie videtur, quod post renatas in Europa litteras hæc philologiæ pars et parum diligenter huc usque curata fuerit, et nimis negligenter jam tractetur. Nam inter sexcentos qui ducentis abhinc annis eoque amplius de re grammatica, rhetorica, poetica, etc. aliquid conscripserunt, vix ac ne vix quidem unum et alterum reperias, qui hujusmodi argumentum satis accurate fuerit scribendo persecutus. Quum plurimos hactenus legendo pervolverim, unum ferme reperi, Jovitam Rapicium, qui certum quoddam orationis ornamentum, cui nomen rhythmus, bene ac feliciter explicuerit.

Haud difficile mihi ad fidem esset oculis legentium subjicere, quam fœde lapsi sint Erasmus, Georgius ille Trapezuntinus, Melanchthon, Camerarius, Catanæus, Wolfius, Nunnesius, Soarius, Heinsius, qui vel de arte oratoria scripsere, vel græcos rhetoras, Aphthonium, Theonem, Ulpianum latine verterunt; Thomas *de Pinedo*, et Berkelius, qui Stephani Byzantini Geographiam ab Hermolao contractam interpretati sunt; varii quoque interpretes rhetoricorum Aristotelis, Tullii, et Dionysii Halicarnassensis opusculorum, Hermogenis, Philostrati, Julii Pollucis, Harpocrationis, Demetrii vulgo Phalerei, Longini, Diogenis Laertii, Libanii, Suidæ, ne Kustero quidem excepto, etc. Neque ab hac labe communi sunt immunes Maussacus, Vavassor, Schefferus, Tollius, Huetius, Normannus, etc. non Julius ille litteratorum quasi dictator Scaliger, non splendidus Galliæ nostræ sol Budæus, in quo nonnullas etiam maculas deprehendo. Qui vero sive de rhetorica gallice aliquid conscribere aggressi sunt, sive oratorios Ciceronis libros, et Quintiliani Oratoriam Institutionem in vernaculam Gallorum linguam transtulerunt, ii mirum quot variis in locis a vero scriptorum sensu longius abscesserint: adeo ut, dum translatos in alium sermonem auctores intellectu faciles nobis exhibere se credunt, ipsi aliquando vix possint intelligi.

His aliisque de causis facile inductus sum, ut ad novam Fabianæ Institutionis editionem aggrederer, et quæ per viginti annos ad mei exemplaris marginem adjectasque schedulas, sive contextus emendandi, sive notis illustrandi, et philologiæ totius explicandæ gratia identidem adscripseram, ea publici juris facerem..... Parisiis, kalend. August. ann. MDCCXXV.

XVII.

JO. MATTHIÆ GESNERI PRÆFATIO.

(1738.)

De M. Fabio Quintiliano in fronte hujus operis dici aliquid omnino debet; et breviter dicere, quod multa suadent, difficile est, si quis vel attingere velit præcipua, nedum de omnibus disputare. Itaque hoc certe agamus, ut si quis anquirere omnia diligentius velit, ejus labor a nobis adjuvetur. Versati sunt in hoc argumento, ut reliquos taceam, qui breviter aut aliud agendo illud attigerunt, 1° Nicolaus Antonius Bibl. Vet. Hispan., I, 12, a n. 238-278: 2° Henricus Dodwellus Annalibus Quintilianeis, qui cum Velleianis et Statianis editi sunt Oxon. 1698, 8°, et Burmanniano deinde Quintiliano subjuncti: 3°. Nanus Tilemontius Historia Imperator. sub Domitiano, art. 22. 4° Pe. Bælius in Dictionario h. vocab. 5° Jo. Alb. Fabricius Bibl. Lat. ejusque supplementis: quibus quum multa adscripsisset senex amabilissimus, ea quoque dignus tanto viro gener et collega Her. Sam. Reimarus mihi pro veteris amicitiæ jure indulsit. Monuit me etiam de plusculis pro antiqua animorum conjunctione et nupera collegii necessitudine, venerabilis noster Heumannus. Nobis ea indicare, disponere, partim etiam nostris observatiunculis augere, satis jam fuerit.

§. 2. Nomen Quintiliani[1] ipsum controversia non caret. Lapides et alia monumenta *Quinctios Quinctiliosque* habent frequenter: sed non minus crebros *Quintilios* et *Quintios*. Quum typographis exprimendum daremus exemplum Burmannianum, et faveret origo nominis, illud secuti sumus, hoc non damnamus.

§. 3. Major nec ita facilis de patria[2] viri lis est. Hieronymus in Chron. ad Ol. 211: « M. Fabius Quintilianus Romam « a Galba perducitur. » Et Olymp. 216, anno Domitiani VIII, « Quintilianus ex Hispania Calagurritanus primus Romæ « publicam scholam (f. excidit *aperuit*), et salarium e fisco « accepit, et claruit. » Hinc sua habet etiam Cassiodorus. Ausonius in professoribus Burdig. I, 7, p. 145, Toll. « Ad- « serat, *inquit*, usque licet Fabium Calagurris alumnum: » et, ne quis dubitet, Minervium, quem celebrat, ita allocutus erat, « Alter rhetoricæ Quintiliane togæ. » Consentiunt S. Hieronymi adv. Vigilantium verba, quem *Calagurritanum cauponem* appellat, et hac occasione *mutum Quintilianum*, quæ nuper illustravit præstantissimus Wesselingius ad Antoni. Itiner. p. 457 seq. Illud nondum observavi, et nescio an alius quisquam, quod Volaterranus ait lib. 19 pr. Quintilianum Hispanos suos provinciales appellare: quæ quidem testimonio rem confectam haberemus. Jam contradicit nescio cujus ætatis auctor vitæ illius, quam et nos statim post hanc præfationem dabimus, et Romæ natum contendit, negatque fidem *libris temporum*, et ad Martialis silentium provocat, non taciturі de gloria patriæ suæ. Tuetur, uti par erat, strenue civem suum Nic. Antonius, et auctoris incerti fidem derogare certis non patitur; Martialem I, 62, poetas modo laudare voluisse, contendit. Raderus etiam ad Martialis II, 90, ita respondet,

1. Vide præfat. Spalding. nostræ editioni præmissam, pag. 4 seqq. Ed.

2. Vide locum citatum, pag. 11 seqq. et confer omnino inter se Gesneri et Spalding. præfatt. Ed.

scriptores eum, ut est in lemmate, commemorare voluisse; tum autem nihil adhuc editum a Fabio.

§. 4. Cæterum pueritiam et adolescentiam suam Romæ actam meminit Fabius, VI, 3, 57; et X, 1, 24, it. 102; ac XII, 11, 3: inprimis vero V, 7, 7 coll. Plin. Ep. II, 14; 10. Quos porro hic auditos a se memorat, eorum mortes ante annum ærae vulgaris LIX contigisse, ostendit Dodwellus, §§. 6, 7 et 8. *Palæmonem*, qui sine dubio Romæ docuit, *Quintiliani præceptorem* nominat scholiastes vetus Juvenalis ad VI, 452, et firmat ipse Noster I, 4, 20. Patrem etiam Fabii Romæ declamasse colligitur ex IX, 3, 73: nec incredibile est, quod auctor vitæ tradit (licet dubitet Antonius B. Hisp. I, 4, n. 43), avum ipsius esse, quem auditum a se (vix autem alias quam Romæ) Seneca pater commemorat Controv. 5 præf. Quæ quum ita sint, nihil videtur commodius, quam ut statuamus cum Antonio et Dodwello, Calagurri natum Quintilianum, a patre primo Romam deductum, deinde a Galba intra annum suæ ætatis XIX et XX, ærae vulgaris autem LXI, abductum (quid si pro interprete? certe ut ipsi ostenderet patriam, et suavitate ipsius frueretur), in Hispaniam Tarraconensem, in qua fuit utraque Calagurris, tum Nassica (sic enim scribendum ex nummo, quem Surita laudat ad Antoni. Itiner. p. 392, Wessel.), tum Fibularia, quæ hodie *Calahorra*. Ibi igitur vixisse videtur annis octo, et artem forte suam docuisse, et ab eodem Galba deinde post Neronis mortem Romam esse reductus. Non probat Dodwellus, abdúctum a Galba Fabium. Sed quum diserte tradat in Eusebiano Chronico Hieronymus, ol. 211 a Galba Romam deductum; quum ipse Fabius, extrema pueritia, initiis adolescentiæ Romæ se fuisse ostendat; quum nullum vestigium sit in illius libris, quo inveniatur, per octo illos annos, quibus in Hispania fuisse Galbam docet Suetonius, cap. 9, Romæ eum fuisse; facile adducor, ut viro doctissimo assentiar.

§. 5. Ingeniosa est Heumanni mei objectio contra patriam Fabii ex I, 5, 57, Gurdos, « quos pro stolidis accipit « vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi: » neque enim ita locuturus videtur homo ipse Hispanus. Verum contra testimonia, quæ laudavimus, hoc non multum valere, ipse intelligit. Nempe similitudinem quum ita certam non videret Fabius, quum Romæ potius Romanus videri vellet, alieno testimonio hic utitur. Et quidni audisse illum dicamus in ipsa patria? sed nomen non communis usus, verum proverbiale, qualia sexcenta, in hoc præsertim argumento. Et quot sunt germanica vix decimæ Germanorum parti nota?

§. 6. Romæ igitur scholas rhetoricas habuit, publico auctoratus stipendio, quod ex Hieronymi Chronico modo cognovimus. Pulchre huc convenit quod Suetonius de Vespasiano, c. 17, ait: « Primus e fisco latinis græcisque « rhetoribus annua centena constituit. » Claruisse illum ait Chronicon ad annum Domitiani VIII, olympiad. 216, h. e. sub finem illorum XX annorum, quos ipse principio operis ait se erudiendis juvenibus impendisse. Inter hos fuit Plinius junior, quod ipse memorat Epist. II, 14, 10; et VI, 6, 3: et flos juventutis romanæ, si credimus Martiali II, 90: « Quintiliane vagæ moderator summe juventæ, « Gloria Romanæ Quintiliane togæ: » ubi prior versus ad scholam rhetoricam pertinere videtur, alter ad causas in foro actas: nempe utrumque opus simul tractavit. Non præcepta autem solum tradidit; sed declamavit quoque, ita ut in ipsa schola etiam illis rerum imaginibus s. φαντασίαις afficeretur, « movereturque adeo, ut ipsum non lacrymæ « solam deprehenderent, sed pallor, et vero similis dolor, » quod narrat VI, 2, 36. De memoria quoque sua agens II, 2, 39, Declamationum suarum mentionem facit. Cæterum quantum salarii nomine acceperit Fabius, modo audivimus e Suetonio. Plura de eruditorum salariis volentem

docebit Gronov. P. V, 4, II, p. 326 seq. A privatis quantum acceperit, doceret Juvenalis, nisi satiram scriberet; et aliquid tamen docet VII, 186:

> Hos inter sumptus sestertia Quintiliano
> Ut multum duo sufficient.

§. 7. Sed non in umbra solum vixit; verùm, ut dicere cœpimus, in foro quoque versatus est. Quomodo discere causas et disponere solitus sit, ipse tradit VII, 1, 3 seq. Causam Nævii Aproniani juvenis adhuc non egit modo, sed edidit, quod ipse docet VII, 2, 24. Ubi simul monet, cæteras, « quæ sub suo nomine ferantur, negligentia exci- « pientium in quæstum notariorum corruptas, minimam « sui partem habere. » Meminit etiam alterius actionis pro regina Berenice IV, 1, 19. Quod autem putat Nic. Antonius, n. 244, dicere Politianum in oratione super Fabio Quintiliano, aliam quoque Berenices causam ab eo actam, « qua eamdem Berenicen, subjecti marito testamenti ac- « cusatam, defenderit, » in eo fugit illum cura, quam alias adhibebat vir diligentissimus. Ita habent verba Politiani, « Inter cæteras autem quas egit causas Quintilianus, duæ « inprimis insignes habentur, altera quam pro regina Be- « renice apud eam dixit; altera, qua ream » (non ipsam Berenicen, sed quamcunque, non nominatam certe ab ipso), « quæ subjecisse, etc. » Respicit nempe Politianus ad IX, 2, 73. Cæterum *ponendæ fere* per narrationem *causæ officium* a se *exigi* solitum, refert IV, 2, 86: quam non exiguam laudem esse, ex his, quæ ibidem docet, intelligimus.

§. 8. Quum viginti annos studia sua erudiendis juvenibus impendisset, quietem illorum impetravit, quod narrat in ipso Institutionum proœmio, et induci se ab amicis passus est, ut aliquid de dicendi ratione componeret, quod adeo tempus ex Dodwelli rationibus incidit in annum

Christianorum LXXXVIII, ipsiusque Fabii XLVII currentem: ac de opere ipso deinde dicetur: nunc, quid intra illius cursum auctori evenerit, videndum. Scripserat (circa annum XCII, ut docet Dodwellus) tres priores libros, quibus, si non aliis, certe suo et Marcelli Victorii sui filiis prodesset. Marcellus hic idem est, cui quartum Silvarum librum inscribit Statius, cujus tempora cum Quintilianeis componit Dodwellus, §. 27. Tres igitur libros priores scripserat, quum *delegaret* ipsi *Domitianus Augustus curam sororis suæ nepotum.* Hæc ipse procemio libri quarti. Diserte *sororis Domitiani nepotes* vocat Fabius: nepotes ex sorore interpretantur certatim viri docti ad Suet. Domit. c. 15, et accuratissimus ipse Dodwellus, §. 34, qui firmant sententiam suam ex Philostr. de Vita Apollo. VIII, 25: quem proinde sequi ad l. c. Fabii nihil dubitabamus. Sed re denuo perpensa, manendum esse in verbis Quintiliani, ejusque proinde discipulos non filios sororis Domitiani, sed nepotes fuisse, vel inde mihi apparet, quod sororem Domitiani, Domitillam, ante patrem suum Vespasianum, atque adeo ante imperium Domitiani, mortuam esse, tradit Suet. Vesp. c. 3: eam autem Domitillam, quæ Clementis in matrimonio fuit, cujus Clementis filios imperio destinaverat Domitianus, marito supervixisse, cum Xiphilini Dione, idem eodem loco docet Philostratus. Fuit itaque Domitilla Clementis, mater discipulorum Quintiliani, filia prioris Domitillæ, sororis Domitiani. Sic recte constituit familiam Nic. Antonius, qui per hanc ipsam occasionem in Domitillarum mentionem quum incidisset, eo accuratiore diligentia eas persequitur, quod inter martyres Clemens cum sua Domitilla non immerito referuntur. Hic Dionis etiam ex Xiphilino lib. 67, p. 766 A. locum laudat, ubi Domitilla Clementis, non soror Domitiani, sed συγγενὶς, laxiore vocabulo appellatur. Viderat ista quoque Bælius voc. Quint. no. D. et ita solvit dissensum, ut dicat Dioni

ac Suetonio plus fidei habendum. Acutius noster Olearius, qui apud Philostratum pro ἀδελφῇ, ἀδελφιδῆν substituendam monet, h. e. sororis filiam. Hæc afferre visum est præter institutum, ut securitatem nostram, quæ ad Fabii locum citatum nobis imposuit, quasi expiaremus. Jam pergimus.

§. 9. Dimidiam fere partem operis absolverat Quintilianus, quum unicus illi filius, fratri quinquenni et matri undevicesimum annum non egressæ superstes, morte eriperetur, quas mortes, suamque orbitatem vehementissime et ita luget exordio libri sexti, ut difficile sit cum viri sapientis constantia illas querelas conciliare. Cæterum ex Plinii Epist. VI, 32 discimus, hunc nuptiis filiæ Quintiliani, quæ Nonio Celeri nuberet, contulisse quinquaginta millia (imperiales 1666 $\frac{1}{3}$), quum tamen filiam, orbitatis solatium, exordio libri sexti non memoret Fabius. Itaque videtur, illum solitudinis impatientem ad altera vota transiisse, ducenda Tutilii, ut apud Plinium vocatur, filia. Temporum rationes putat Dodwellus, §. 25, et novas nuptias collocat in annum æræ nostræ XCIV. Non est autem dissimulanda Nic. Antonii sententia, cujus bibliotheca nondum usum observavi Dodwellum: et forte nondum poterat, quum Annales suos conderet, etsi prima est, quam habeo, editio anni 1698, ante quam biennio Antonii opus prodiit. Videtur igitur Antonio, n. 252, illud matrimonium cum Tutilii filia Quintiliani antiquius esse, quum nondum dives Quintilianus, quum posset ipsi offerri tale munus, quale oblatum a Plinio modo vidimus. Huic primo illud obstat, de quo modo dictum est, Fabii, orbitatem suam deplorantis, silentium: deinde ingeniose adeo et eleganter rationes temporum Fabii nostri, Plinii, Nonii Celeris, cui nupsit illius filia, connectit ac devincit Dodwellus, ut difficile sit illi non assentiri. Sed supersunt scrupuli alii.

§. 10. Nimirum consularia ornamenta habuisse Quinti-

lianum constat. Recepta sententia est, ea illum consecutum esse ob institutionem nepotum sororis Domitiani, qua de re modo dictum est §. 8. Favet certissimus fundus ejus rei Ausonius, qui in gratiarum actione, p. 712 Toll. « Quintilianus, inquit, consularia per Clementem » (patrem horum puerorum, quid magis naturale?) « ornamenta « sortitus, honestamenta nominis potius videtur, quam « insignia potestatis habuisse. » Juvenalis carmen statim inspiciemus. Huc traxerit forte aliquis locum nostri Fabii, VI, proœm. 13, ubi de filio suo, « Tene consulari nuper « adoptione ad omnium spes bonorum patris admotum? » Sed hoc lubricum est: potest enim intelligi, et forte debet, non naturalis pater, sed adoptivus. Quamquam Nic. Antonius, n. 251, argute *adoptionem consularem* ad ipsum nostrum Fabium refert, quod, ut adoptio fictio est naturæ; sic ornamentorum consularium concessio adepti revera consulatus fictio fuit. Dodwellus ipso Ausonii loco utitur, ut probet, Fabium non ab illo patre discipulorum suorum Clemente, neque propter ipsos, sed propter Augusti alicujus institutionem consularia ornamenta accepisse. Nempe ita gratias agit pro consulatu Gratiano imperatori, suo discipulo, ut utrumque hunc suum honorem singulare quiddam, et paucissimis commune habere ostendat. Ait, objici sibi posse, « An tu solus præceptor Augusti? Immo, res« pondet, ego cum multis conjunctus officio, sed cum « paucissimis secretus exemplo. Nolo Constantini tempo« rum taxare » (in hunc censum referre) « collegas; Cæsa« res » (secundi fastigii, non Augusti) « docebantur: supe« riora » (tempora) « contingam. Dives Seneca, nec tamen « consul.... sævitiam. Quintilianus consularia per Clemen« tem, etc. » Aperte igitur distinguit, et eximit, ut Senecam, sic Quintilianum a Cæsarum præceptoribus. At Clementis filii nondum adoptati, nondum Cæsares, quod sciatur, nedum Augusti fuere. Augusti ergo præceptor

Quintilianus. Sed cujus? non Domitiani, quod non taciturus erat; non Nervæ, se senioris; non Trajani, durioris ad hæc studia; sed Hadriani. De hoc Spartianus, cap. 3: « Quum in quæstura » (anno æræ nostræ CI, circa LX Quintiliani) « orationem imperatoris in senatu agrestius pro« nuncians risus esset; usque ad summam peritiam et fa« cundiam Latinis operam dedit. » Hic igitur Hadrianus quum primum Romam veniret A. C. CXVIII, Quintiliano septimum et septuagesimum ætatis annum agenti consularia ornamenta de Dodwelli sententia contulerit: et ad tantam dignitatem sustinendam censum, qui tum erat duodecies (imperialium 40,000), ut constat ex Suet. Aug. c. 41, suppleverit. Sic sero dives, sero consularis Quintilianus, locum relinquit liberalitati Plinii. Quæ objici poterant ex Juvenalis temporibus, ea planissime diluit Dodwellus. Hujus quidem poetæ pleraque sub Hadriano demum scripta, quidquid scholiastæ dicant, clarum nobis videbatur, quum hoc ipso tempore ejus satiras, quantum ejus per pudorem nostrum fieri poterat, publicis recitationibus explicaremus. Sed supersunt tamen, quæ injicere manum mihi videntur, ne in sententiam illam, de seris adeo Quintiliani honoribus, securus transeam.

§. 11. Primum ipsa ætas Quintiliani, qui nescio an ista ἐντάφια potius, quam profuturi honoris insignia recipere, vir philosophus, voluerit. Deinde illud miraculo simile, si non Clemens, cujus filios erudierat noster, qui a Domitiano deinde interfectus est; sed alius item Clemens, sed ignorabilis homo ipsi Dodwello (vide §. 41) impetravit Quintiliano honorem ab Hadriano, qui monitore et intercessore, de sui præceptoris honore quum ageretur, opus non videtur habuisse. Quod ad Ausonii locum attinet, apparet, illum hoc velle ostendere, in neminem alium hæc duo convenire, ut et rhetor ac præceptor Augusti alicujus, et consul re ipsa, non solo nomine, esset. Itaque Senecam

removet, ut præceptorem illum quidem Augusti, sed non consulem; Quintilianum, ut consulem quidem, sed nec Augusti præceptorem, quippe qui *per Clementem* ob ejus filios hoc sit consecutus, non per ipsum proxime imperatorem, nec re ipsa atque officio consulem. Licebit igitur hic sustinere interim sententiam, quin in alteram potius ac diversam, ornatam ab ipso quoque Dodwello, §. 34, propendere. Quod enim Plinius contulit ad nuptias illius filiæ, et *modicum facultatibus* vocavit VI, 32: non eo confugiendum est, ut cum Bælio not. C. suspicemur, alium esse Plinii hunc Quintilianum; vel negemus cum gallico interprete Fabii Gedoyno, omnino legendum esse Quintilianum, sed Quintianum debere substitui; vel dicamus, imminutas esse post Juvenalis prædicationem (de qua statim) ipsius divitias. Sed e priore aliquo conjugio susceptam posse videri illam Quintiliani filiam, modo indicavimus, quum adhuc tenues patris opes fuere. Quin si hoc non placeat, ob silentium illud in præfatione libri sexti, si consularibus jam ornamentis instructus, si hortis et villis beatus fuit Quintilianus, quum elocaret filiam e secundo susceptam conjugio: tamen *modicus facultatibus* dici potest, qui ultra necessarium dignitati censum nihil possideat, a viro præsertim ditissimo, qualis fuit Plinius; tamen conferre possunt filiæ præceptoris sui, honoris causa, locupletes discipuli, qui in clientelarum se numero, si grati sunt, volunt haberi.

§. 12. Postquam hæc ita disputata sunt, elogium decantatissimum Juvenalis de nostro Fabio VII, 186 seqq. ita possis interpretari: « Hos inter sumptus divitum luxurio-«sorum, quos modo enarraverat, sestertia Quintiliano «primo et celeberrimo rhetori, Ut multum dicam, duo «sufficiunt. Res nulla minoris Constabit patri, quam «filius. » Objicis, « Unde igitur tot Quintilianus habet sal-«tus, » et prædia, censum Senatorium? At tu *exempla*

novorum plane atque inusitatorum, prodigii instar, *Fatorum* magis, quam solennis cujusdam rationis, *transi* silentio. Ita multa conveniunt in hoc viro, ut facile appareat, singularem hominem esse, qui trahi in exemplum non possit. Idem enim est *felix* gratia nobilium, *pulcher*, ἐπαρρόδιτος, qui illis placeat, ob ipsam quoque oris et formæ commendationem, *et acer* in dicendo (vide VI, 2, 36): *Felix*, inquam, simul est *et sapiens*, qui uti felicitate possit, *et nobilis* propter ingenium ac doctrinam, *et generosus* non modo propter honestum illud, quo incoctum pectus habet, et patrem atque avum doctrina nobilitatos; sed ideo, quod ornamenta consularia, et jus imaginum nactus, ad liberos suos generis nobilitatem transferre potest: nam hos etiam juvat, quod *Appositam nigræ lunam* sive C litteram, senatorii ordinis insigne, *subtexit alutæ* calceorum. *Felix* ter Quintilianus, quod *orator quoque* et patronus causarum *maximus*, *et jaculator* dictorum acutorum in altercationibus (vide VI, 3, 43), *Et* vocis munere præclaro præstans: nam etiam *si perfrixit* in sudata veste (vid. omnino II, 3, 23) tamen *cantat bene*, modulate et apte ad movendum dicit. Hæc singularis cujusdam felicitatis munera sunt atque argumenta, quæ in unum omnia hominem fortuna contulit. « Distat enim, quæ Sidera te excipiant « modo primos incipientem Edere vagitus, et adhuc a « matre rubentem. Si Fortuna volet, fies de rhetore, » ut Quintilianus, *consul* nomine certe, et loco in senatu; vel verus, ut Cicero. « Si volet hæc eadem, fies de consule « rhetor, » ut idem Tullius. Quibus ista explicatione nihil opus erat, illi poterunt cogitare, esse forte lectores alios, qui ea non nihil juventur.

§. 13. De moribus Quintiliani, nam hæc fere de vita innotuerunt, aut possunt conjici, de moribus igitur illius anceps disputatio est. Multa Dodwellus, §. 42-45. Nobis brevitas hic etiam cordi esse debet. Illud toto opere, quod

jam damus, apparet, severiorem professum disciplinam, ne oratorem quidem bonum, nisi eumdem virum bonum, docuisse, vid. I, procem. 9; it. XII, 1 integro: a turpitudine omni verborum diligenter abstinuisse, idque aliis fuisse auctorem, quod inprimis apparet, si quis totam illius de ridiculo, VI, 3; itemque de cacophato, VIII, 3, 95, doctrinam inspiciat. Juvenalis quoque semper illius, ut viri boni et sapientis mentionem facit. Videamus hoc propius, quum quædam dubiam habeant interpretationem. Sat. VI, 75, quum memorasset, incidere feminarum amores in histriones, cantores, et levi de genere homines: subjungit, « An exspectas, ut Quintilianus ametur? » Nimirum pulcher et ipse, ut modo vidimus, *acer*, qui in foro *bene cantet*, etc. Sed quia honesta persona est, hunc non amant. Eadem Satira V, 279: « Jacet mulier in servi « complexibus aut equitis: dic, Dic aliquem sodes hic, « Quintiliane, colorem! » Respondet Quintilianus (qui alias non negat, bonæ rei causa etiam colorem adhibendum, et circumveniendum iniquum judicem) ut vir bonus et honestus, *Hæremus*, etc. Duo sunt tamen, in quibus et me hærere interdum fateor, sed quæ temporum potius ipsius infelicitati, quam perversitati ipsius propriæ imputanda videntur. Unum est, quod funera suorum parum viriliter tulit. Sed hoc commune ipsi cum his, qui receptas tum religiones sequerentur, quibus accusare providentiam, vita se privare, non erat impium, ubi placere potuit cum suo Catone Lucani versus,

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni, etc.

Alterum illud est, quod adulationi in Domitianum nimium videtur dedisse, non tantum in laudibus immodicis, quale illud est, quod IV, pr. 3: « Sanctissimum morum censo- « rem » appellat, et paullo post ut « præsens et propitium « studiis numen » invocat: sed quod in illius gratiam ini-

quior videtur philosophis, id quod jam monuimus ad procemium operis s. 15. Si enim excusabile est honorem habere principi pro temporum tuorum moribus, a quo beneficia magna habeas, quem tacendo in tuam forte perniciem offendas, quem laudando forte admoneas: at hoc vix videtur cadere in bonum virum, ipsum illud laudare facinus, quod, qui reverentissime habent auctorem, silentio certe involvunt. Sed nimirum talis fuit major pars illorum philosophorum, qui vita sua et moribus causam dicerent pro Domitiano: hos solos a se læsos dicere potest Fabius. Certe quæ adhuc disputavimus non impediunt, quo minus inter summos omnis ævi homines referatur, illisque dignus habeatur laudibus, quas certatim in illum eruditi homines contulerunt: quasque bonam partem collectas habes a Giberto in judiciis eruditorum de rhetoribus, atque ante eum a Tho. Crenio Animadverss. Philoll. P. XV pr.

§. 14. De reliquis ab eo scriptis, vel nomen ipsius hodieque præferentibus agere jam non est propositi nostri, neque otii. De opere autem, quod solum in præsentia damus, Institutionum Oratoriarum eo diligentius tractandum est. Consilium et summam illius ipse in procemio satis declaravit, et exsecutus est felicissime. Illud in hoc opere longe maximum, quod non tenuia et exsanguia præcepta tradit, sed eloquentem, docendo dum format, ipse suo exemplo facit, suavissimaque oratione sic influit in animos, ut felici quadam contagione implere illos videatur. Quam jucundæ, hoc est, quam accommodatæ rebus sunt similitudines, quarum arte ipsum, an ingenio? inter Latinos, ut in Græcis Plutarchum, regnare arbitror. Quam præcepta viri ipsarum rerum, quas tradunt, exempla continent! Vide mihi verbi causa, VII, 10, 17; VIII, 2, 15; VIII, 3, 46. Quæ igitur summa sunt, quæ sapientiæ partes sunt, ea sic tradit Fabius, ut non modo proximum a Ci-

cerone locum obtineat, sed in tantum Ciceroni sit præferendus, in quantum multo sibi quam ille campum latiorem proposuit. Quod autem ad ea attinet, quæ subtiliora et quasi spinosiora sunt, quæ proprie τεχνικὰ vocantur, in iis reprehensione non caret, et sæpe, nec injuria, errores illius notavit, in præclarissimo opere, Vossius. Scilicet nunquam Romani græcas illas artes sic excoluerunt, uti se ad tenues illas et minutas præceptiones demitterent: semper ad actum, semper ad usum vitæ intenti indignum romana majestate putarunt, in elementis disciplinæ operose elaborare. Itaque nullam ullius artis comprehensionem habemus, nullum librum, ita quasi ad amussim illam Aristoteleam elaboratum, ut non subinde liber ille romanus spiritus, quasi frenis excussis evagaretur. Speciminis causa inspice, si videtur, V, 14, 6; X, 12, 14. Videtur ipse quoque in ipso ingressu libri octavi illam reprehensionem occupasse, item VIII, 6, 2 et 58; et IX, 1, 7. Nolim autem quæ peccata hac in re videri possunt, Quintiliano indiscretim tribui omnia. Nusquam corruptior est, quam in his quæ mere technica sunt. Nomina græca, exempla aliena, frequens descriptio illorum locorum, quum circa troporum et figurarum tractationem fere hærerent minuti magistri; hæc igitur, quæ diximus, videntur januam quasi corruptioni aperuisse: quæ nos præsertim libro septimo, c. 2 et 3, et sæpe torsit, itemque libro nono, c. 3, quod nec dissimulavimus, vid. v. g. ad IX, 3, 11. Sed bene est, quod talia et pauca sunt, si comparentur cum his, quæ sana sunt, recta, pulchra, utilissima: et quod nullo cum detrimento eloquentiæ possunt prætermitti, quum præsertim Vossianæ institutiones illum circa præceptionum subtilitatem defectum sarciant cumulatissime. Reliqua quidem talia, quæ legisse, et quantum potest, demisisse ad animum, neminem unquam pœnituerit. Sed major est laude nostra, cum institutionis suæ libris, Quintilianus. Videa-

mus, quæ, post longam illam litterarum noctem, fata quasi hujus operis fuerint.

§. 15. Ac manuscriptorum quidem catalogi gratiam nobis facient lectores, quum nihil sit magnopere, quod adjiciamus iis, quæ a diligentissimo, dum viveret, Fabricio nostro collecta sunt; exspecteturque catalogus ille et bibliotheca manuscriptorum, quam parat nobis felix præstantissimi Montefalconii industria. Igitur ea modo deinde commemorabimus, quæ nobis comperta sunt. Unum hic est silentio non prætereundum. Communicavit mecum, pro suo in quidquid pulchrum et honestum est studio, vir illustris Jo. Godofr. *de Meiern* brevem vitæ Nicolai V. P. M. descriptionem, excerptam e codice, qui acta complectitur concordatorum sedis apostolicæ cum natione germanica a. 1447, in qua ista etiam de illo pontifice leguntur: « Misit litteratos per totam Europam, quorum industria « libri conquirerentur. Et Poggius Quintilianum tum inve« nit. » Illud laxe satis et plus quam perfecto tempore est intelligendum. Codices Quintiliani exstitisse, et hodie exstare, Poggiano antiquiores, non est dubium. A Poggio in monasterio S. Galli, durante Constantiensi concilio, diu ante Nicolaum pontificem inventum esse codicem optimum Quintiliani, certum hodie, ubi epistolæ complures de ea re in lucem protractæ, et vita omnis Poggii illustrata varie est. Sed missis MSStis, quos nec vidimus, nec novum quid de illis docere possumus; jam editionum catalogum dabimus [1], aliquantum, quam adhuc exstitit, vel pleniorem, vel certiorem. Illud præstabunt tum nostra quædam, tum Fabricii præsertim τοῦ μακαρίτου ad bibliothecam suam observata: hoc, quod asterisco notabimus, quæ exemplaria, sæculo quidem XVII antiquiora, ipsi oculis manibusque usurpaverimus. Cæteris, unde ea nobis innotuerint, ad-

1. Huic catalogo Bipontinum absolutiorem substituimus, mox indicibus præfigendum. Ed.

scribemus. B. notabit catalogum quem Burmannus dedit Almeloveniąnum, F. autem Fabricianam Bibliothecam, et R. submissa mihi a Reimaro supplementa Fabriciana. Has porro notas apponam tum demum, quum ad meam αὐτοψίαν provocare non possum.....

§. 17. Reliquam Quintiliani historiam litterariam persequi non licet. Sed apparebit, studium illud habendi et legendi Quintilianum, quod adeo fervebat olim, versus sexti decimi sæculi finem paulatim refrixisse; cujus rei non ea tantum causa est, quod superiorum editionum exemplaribus usi etiam sunt posteri; verum, quod e scholis malo profecto consilio remotus Fabius, cedere libellis recentiorum coactus est: in quem locum restituere illum et Muretus olim (vid. Var. Lect. XVIII, 20), et nuper Rollinus studuit, optimus, si quid judico, a Quintiliani inde ævo magister, dignissimus, cui non populares tantum sui, sed, quidquid ubique est, hominum litteras amantium obsequantur. Atque hic quidem, ne difficultatibus et spinis rhetoricis (quibus ætas Quintiliani carere non poterat) homines porro lectione cæteroquin utilissima deterrerentur, eas omnino resecuit, ut modo ostendimus. Nos carere illis nos posse, non negamus: attamen reliquimus sua (modo sua semper sint) Fabio, quantum etiam poteramus, illustravimus; atque ea inprimis ratione invitandos duximus homines, ut perpetuo, licet brevi commentario illustratum daremus doctorem præstantissimum, et ubi hæreret nobis aqua, fateremur; primo ut felicium ingeniorum studia excitaremus: deinde ne se tantum infelicem, aut Fabium sibi modo quibusdam locis inutilem recentior aliquis, aut occupatus in aliis rebus lector putaret. Præterea hoc monemus in limine, quæ non satis intelliguntur hodie, de quibus §. 14 jam dictum est, ea posse pro cujusque lectoris ingenio prætermitti, pauca sane, si cum toto opere comparentur: reliqua

metum non esse, ne intelligant, ne probent, ne utilissima sibi sentiant, qui modo animum afferant discendi cupidum, et latinæ linguæ non usquequaque sint imperiti.

§. 18. Volebamus autem pro præsenti copia mereri de Quintiliano, et efficere, quod mox utile esse volentibus posset: ne, dum poliremus opus, dum multa litura coercere studeremus, aliquis nobis casus, quod sæpe factum est aliis, totam hanc merendi occasionem interciperet. Itaque per me non stetit, quo minus anno minimum citius prodiret Quintilianus: et maluissem id factum, ne eo tempore hæc præfatio scribenda esset, quo plura etiam alia mihi incumbunt. Si nihil aliud, hoc certe debent nobis studiosi, quod et Gothani codicis, et Jensonianæ editionis perpetuam collationem habent: in qua non nego, peccari aliquid potuisse: quin jam Cl. Heusingeri opera intelligo, dormitatum aliquoties esse (et puto hominem non esse, qui in tali re nunquam conniveat); sed hoc mirabor, si sæpe, si insignior varietas, in loco præsertim dubio aut difficili, me fugerit. Ubicunque ergo nihil varietatis notatum est, ibi nostram editionem cum MS. Gothano, cum Jensoniana editione, et Burmanniana convenire, sciant lectores. Sed est hic aliquid de præstantissimo illo codice dicendum.

§. 19. Ex quo tempore Cl. Tenzelius Colloqu. menstruis, 1694, p. 108, ac deinde Cel. Cyprianus in catalogo MSS. ejus Bibliothecæ, c. 1, n. 66, hunc thesaurum indicaverant, magna merito cupiditas injecta est hominibus illo fruendi. Vir summus, Pe. Burmannus, post ea quæ ipse Gibsoni industria et Obrechti ingenio adjutus præstitit, præclara sane et laude dignissima, tamen, ut universim modeste de se suisque studiis hic etiam loquitur, et, « Nullus, credo, scriptor, inquit, ad nos pervenit, in quo « tot affecta et plane desperata adhuc loca supersunt, qui« bus ut medicam manum adhibere, et excutere, quidquid

« ubique codicum lateat, eruditi viri et eloquentiæ studiosi « velint, magno opere contendendum est: » ita vehementer rogat viros eruditos, ut illum codicem diligenter excutiant et prodant. Dedit postea gustum Liebius, magno cum litterarum damno nuper nobis ereptus, in Actis Eruditorum Lips. 1720, p. 434 seqq. et 1721, p. 71 seqq. qui accendere magis sitim eam posset. Quum itaque auspicium quasi privati laboris in hac urbe facere vellem, quo rhetoricam simul cathedram, cui impositus sum, pro virili parte ornarem, nihil antiquius visum est Quintiliano, et, quum ille semel placuisset, codice Gothano. Opportune mihi, et, ut spero, Fabio accidit, vetus amicitia cum viro vere magno, et amore omnium qui virtutem et litteras colunt, omnisque posteritatis prædicatione, dignissimo Ern. Sal. Cypriano, qui ut summa rei sacræ, litterariæ, et, in quantum his innexa est, publicæ negotia, apud Ernesti Pii gentem et posteros ex illius præscripto tractat, ita etiam librariorum in arce Fridensteinensi thesaurorum supremam curam sustinet. Huic vix significaveram de consilio meo, quum statim ad me perferri pretiosissimum librum curat, et trium mensium usuram indulget liberalissime, quo nomine maximas viro gratias non privatim modo ego, sed quicunque Fabii doctrinæ sumus studiosi, debemus. Esse hunc codicem scriptum sumptu Francisci Piccolominei, cardinalis Senensis, qui postea a. 1503 Pii III nomine pontificatum degustavit, ipsius arma in fronte libri, hoc est, in primæ paginæ, atque præfationis adeo Fabianæ margine imo, depicta satis declarant. Suspicabar aliquid de Campano, qui non Suetonium modo a se editum, sed ipsum quoque Fabium inscripsit huic ipsi Francisco cardinali Senensi; si forte ab hoc scriptus, correctus certe esset hic liber. Cogitabam de Gasparino (Barzizio) Bergomate, a quo multam positam esse in Quintiliano emendando diligentiam, e Volaterrano lib. XXI, f. 222 pr. didiceram. Sed

aliud me docuit tum collatio cum lectionibus Campani a Maittairio editis, et supra laudatis, tum errores, de quibus mox dicam. Cæterum manus est ad antiquam, qualis erat præsertim sæculo X et XI, elegantiam culta, similis valde typis Jensonianis; græca a præstantissimo calligrapho adjecta, cui spatia reliquerat latinus librarius. Ornamenta picturæ aliquantum forte recentiora litteris circa initia librorum, atque ad litteras majusculas applicata, elegantissima, et renatæ jam picturæ specimina luculenta; auri splendor et copia, quæ divitem herum prodat: ipsæ pelles, quæ recentiorem ætatem prodere videntur, et magnæ, et diligenter subactæ atque rasæ. Verbo, codex ad omnem pulchritudinem cultus et cardinali domino, ut nunc magnorum principum thesauro, dignissimus. Esse vero ex libro vere antiquo, et criticos sæculi XV nondum passo, transcriptum, illud mihi fidem facit, quod exstant in eo passim errores crassi oppido et ridiculi, qui effugere vel mediocrem criticum non poterant; nedum Campanum, aut Gasparinum, aut Raphaelem adeo Regium, cujus ille alioquin emendationes interdum firmat, v. g. V, 2, 1. Cæterum specimina errorum, quos dixi, sunt *consequens* solenniter fere positum pro *quotiens*, vid. II, 4, 13, n. *e;* item *pœna* pro *postea*, III, 3, 7, n. *m.;* vel *poema* pro *eodem*, IV, 5, 1, n. *o*, *Grammaticis* pro *Gratiis*, I, 10, 21, n. *u.*, et id genus pluscula, quæ ob id ipsum non dissimulavimus, ut ingenium quasi codicis inde noscatur, et quæ recta sunt in suspicionem eo minus veniant. Habuit tamen correctorem quibusdam locis, sed cautum admodum ne splendorem libri litura insigni deformaret. Itaque parvula et visum fere fugientia punctula subduxit litteris, quas supervacuas indicare vellet, evanidasque imposuit litterulas crassiusculis, quas prima manus dederat; qua de re egerunt Muretus V. L. XV, 9, et qui firmat Mureti querelas Daunius de causis amiss. voc. p. 66. Quid pro-

sit hæc observatio, sub exemplo indicamus VI, procem. 6.

§. 20. Est etiam alius Gothæ in serenissimi ducis bibliotheca Quintiliani codex, sed ita ille corruptus, ut multum eo, quem adhuc descripsimus, sit inferior. Habere tamen subinde hunc quoque veræ lectionis vestigia, satis apparet ex illis speciminibus, quæ passim V. Cl. Heusingeri beneficio ad nos pervenerunt. Major illarum pars, quum serius allatæ essent, Addendis intexta est, ubi etiam unam alteramque observationem S. R. Heumanni, quem non uno nomine meum a me vocari posse, gaudeo, securius sepositam, lector inveniet. Alius Quintiliani codex Lipsiæ est in bibliotheca celeberrimi Kappii, cujus in dubiis certe locis consulendi copiam pro amicitia per viginti annos culta officiis ipsius, utinam meis quoque non nullis colenda, nobis fecit: et non stetit per humanitatem viri, quo minus huc translatum commodo meo tractarem. Sed quod pro meorum temporum ratione, sperare non poteram, multum opis inde ad Fabium perventurum (quamquam non nescio e corruptissimis sæpe lectionibus veram illucescere), satis habui, de nodis quibusdam illum consulere. Qua in re Jo. Augusti Ernesti V. C. oculis i. e. meis, nam ipse meus est ἀντόπτος, et Davidis Salomonis Reichardi, auditoris nostri nuper, nunc amici communis, usum me esse gaudeo. Denique quum significaret Liebius, ὁ μακαρίτης, quem modo laudavi, inspectum a se Dusseldorpii codicem Quintiliani Poggianis temporibus certissime priorem, nec dum, quod sciatur, recentiori ætate a quoquam collatum; adii ea de re illustrissimum Mæcenatem nostrum, ut sua commendatione aditum mihi ad illum thesaurum aperiret. Nec fuit ulla in ipso mora, qui non morari nostras preces, aut differre gaudia, sed desideria occupare soleat: scripsit ipse ad amicum in Palatina aula suum, illustrissimum Beveranum; qui diligenter nostra causa quum requisivisset, tandem compertum est, mala fraude nescio quorum homi-

num, et hunc et alios rarissimos codices esse subductos; ut adeo spes illa nobis decollaverit, quæ forte alii quondam se denuo offeret. Utinam his, quæ habuimus, præsidiis non male nos usos, idonei arbitri existiment.

§. 21. Primam legem mihi dixi fidei et modestiæ, ne quid sciens admitterem, cujus non idoneos auctores laudare possem: ne quid ex ingenio mutarem, nisi ubi res ita manifesta esset, ut dubitari sine stupore vix posse mihi videretur. Sæpe autem mihi insusurrabat ipse Fabius ex IX, 4, 39: « Quædam in veteribus libris reperta mutare « imperiti solent, et dum librariorum insectari volunt in- « scitiam, suam confitentur. » Nihil itaque immutavi, præter interpunctionem (quam liberam esse debere ipsa veterum librorum nos ratio docet), cujus non rationem redderem: et tamen eam, quæ adhuc recepta fuit, diligenter annotavi. Ubi Fabiani consentirent libri, non ausus sum externis auxiliis quidquam mutare, puta quum laudantur verba scriptorum aliorum: quum fieri possit, ut memoria sola nixus, ut aliis libris usus fuerit. Itaque *Cecinam*, ut hoc utar et *Habitum* reliqui Fabio, quum *Cæcinam* et *Avitum* apud Ciceronem hodie sine dubitatione, quod sciam, legatur. In una re non semper annotavi, si quid mutatum esset, in collocatione verborum. Quoties nempe dissentire vidi libros, quod sæpe fieri observavi, eum prætuli verborum ordinem, qui numeris Quintilianeis magis mihi videretur convenire: nunquam tamen in ea collocatione quidquam mutavi, in qua libri consentirent.

§. 22. Quum perpetuo quasi commentario prosequi Quintilianum placuisset, quo illustrarentur, quantum ejus fieri potest, obscura omnia; fieri non potuit, quin dicerentur non nunquam dicta ab aliis. Indicaverat Philander loca Ciceronis aliorumque a Fabio laudata vel notata occulta significatione: ea et nos evolvimus. Quis ferret nos, si vel ideo non adscriberemus, quia adscripserat etiam Philan-

der, aut nomen ejus singulis citationibus apponeremus, aut non satis accurate ab illo indicatum locum diceremus? Sic etiam in aliis potuit accidere, quæ ex communibus repetita fontibus, ideo omitti non potuere, quod cognita aut reperta essent etiam aliis. Itaque licet hic sint, quæ non primum a nobis dicta sunt; corniculæ tamen fabulam non extimesco. Si quid enim esset, in quo ingenium alicujus aut studium laudari posset, non pressi, suam laudem invidi nemini, Burmanniana inprimis κατορθώματα candide æstimavi: quod currente prelo liberalissimæ humanitati erga me filiumque meum summi viri debere cœpi peculiariter, illud olim præstiti ante quam debere inciperem, ut libenter laudarem virum optime ab hominum memoria de his litteris meritum. Si quid ab aliis peccatum videretur, vel plane, et pertinaciter fere tacui, quid melius ego putarem, simpliciter indicasse contentus; vel ita tetigi, ut qui propterea irascatur, indicet, se communem errandi sortem recusare. Nimirum hoc ut faciam, suadet non humanitas modo (ne quis forte gloriam me aucupari hac ipsa prædicatione, arbitretur), sed meorum errorum conscientia, quibus non parci equidem postulo; sed ita eos opto emendari, ut studium tamen nostrum bene merendi de his litteris, æqui bonique consulatur. Si cui videatur aliter, ille peccatis nostris indicandis nos et alios juvabit, gratiarum agendarum necessitatem nobis remittet, ut nimirum neque Jason Pheræus σῶστρον debuit hosti, qui desperatum in pectore ulcus suo gladio aperuerat[1].

1. Vid. in illarum notionum complementum Ge. Ludov. Spalding præfationem, quæ primo nostri Quintiliani vol. præmittitur. Ed.

DE QUINTILIANIS

VETERUM ET NOVORUM SCRIPTORUM

TESTIMONIA ET ELOGIA.

M. Annæus Seneca, *proœmio lib. X, Controvers.*

Pertinere ad rem non puto, quomodo L. Magius gener T. Livii declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit, quum illum homines, non ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent: quomodo P. Asprenas aut Quintilianus declamaverint. Transeo istos, quorum fama cum ipsis exstincta est.

Idem *Controvers.* 4 *ejusdem libri, quæ est de eo, qui expositos debilitabat, et ex mendicitate eorum mercedem acciperet.*

Circa hunc sensum P. Asprenatis est ille a Quintiliano dictus: « Nescio utrum vos miserabiliores dicas quod alimenta accipitis, an quod huic datis. Accipitis enim quia debiles estis: ei datis per quem debiles estis. »

M. Fab. Quintilianus, *lib. IX Institut. Oratoriar. ad Victorium Marcellum, cap.* 3.

Et cur me prohibeat pudor uti domestico exemplo? pater meus contra eum qui se legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis re infecta redierat: « Non exigo, uti immoriaris legationi, immorare. »

Junius Juvenalis, *satir.* VI, 74.

. . . . . Hispulla tragœdo
Gaudet: an exspectas, ut Quintilianus ametur?

Item vers. 279.

Sed jacet in servi complexibus aut equitis: dic,
Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, dolorem.
Hæremus: dic ipsa.

Idem *sat. VII*, 186.

Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius: unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla novorum
Fatorum transi: felix, et pulcher et acer;
Felix, et sapiens, et nobilis, et generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ;
Felix, orator quoque maximus, et jaculator;
Et si perfrixit, cantat bene: distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si fortuna volet, fies de rhetore consul,
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

C. Plinius, *lib. II, epist.* 14.

Ita certe ex Quintiliano præceptore meo audisse memini. Narrabat ille: « Assectabar Domitium Afrum, etc. »

Idem, *lib. VI, epist.* 6.

Erat non studiosorum tantum, verum etiam studiorum amantissimus, ac prope quotidie ad audiendos, quos tum ego frequentabam, Quintilianum, Nicetem sacerdotem ventitabat.

Est et ejus ad Quintilianum suum in eodem lib. epistola 32, *quæ incipit:* Quamvis et ipse sis continentissimus, et filiam tuam ita institueris ut decebat filiam tuam, Tutilii neptem.

M. Val. Martialis, *lib. II, ep.* 90.

Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
Gloria romanæ, Quintiliane, togæ.

TREBELLIUS POLLIO *in XXX Tyrannis, cap. 4 de Posthumio juniore.*

Fuit (quod solum memoratu dignum est) ita in Declamationibus disertus, ut ejus controversiæ Quintiliano dicantur insertæ: quem declamatorem Romani generis acutissimum, unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.

CÆLIUS LACTANTIUS, *Firm. lib. I, cap.* 21.

Optime Quintilianus in fanatico: «Istud, inquit, si deus cogit, iratus est.»

Idem, *lib. V, cap.* 7.

Ideo potentiores esse injustos Deus permisit, ut cogere ad malum possent: ideo plures, ut virtus esset pretiosa, quod rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in *Capite obvoluto.* «Nam quæ, inquit, virtus esset innocentiæ, nisi laudem raritas dedisset? verum quia natura sic comparatum est, ut odium, cupiditas, ira, in id quod incubuerint, agant cæcos, supra hominem videtur culpa vacare. Alioqui si pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat.»

Idem, *lib. VI, cap.* 23.

Nulla est tamen perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam vitiis suis prætendat, injuriam se peccando non facere, sed referre, quod optime Quintilianus expressit: «Homo, inquit, neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos, quæ inter se natura connexa sunt.»

D. MAGNUS AUSONIUS, *in Gratiarum actione.*

Dives Seneca, tamen consul, arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam. Quintilianus consularia per Clementem ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur, quam insignia potestatis habuisse: quomodo Titianus magister, sed gloriosius ille, municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed utilitate consenuit.

Idem, *in commemoratione professorum, de Ti. Victore Minervio, I.*

Primus Burdigalæ columen dicere, Minervi,
Alter rhetoricæ Quintiliane togæ.

Et postea,

Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.

Et infra,

Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia, quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret inluviem:
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te sic viguit, cedat ut ipse tibi.

Idem, *in Mosella, vers.* 399.

.....Memorabo Quietos
Agricolas, legumque Catos fandique potentes;
Præsidium sublime reis, quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum,
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani,
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, et innocuas illustravere secures.

Hieronymus, *in Chronico.*

(Olymp. 211.)

M. Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur.

(Olymp. 217, anno Domitiani 8.)

Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, primus Romæ publicam scholam aperuit, et salarium e fisco accepit.

Idem *ad Præsidium.*

Puto te Quintiliani controversiæ recordari, in qua pauper causatur, dolens ob interitum apum, flores ab impotentissimo divite venenatos.

Idem *in Quæstionibus Hebraicis.*

Me vero procul ab urbibus, foro, litibus, turbis, remotum, sic quoque, ut Quintilianus ait, latentem invenit invidia.

Item.

Nec mirum hoc in conceptu feminarum, ut quales perspexerint, sive mente conceperint, in extremo voluptatis æstu, quo concipiunt, talem sobolem procreent, quum hoc ipsum etiam ut equarum gregibus apud Hispanos dicatur fieri, et Quintilianus in ea controversia, in qua accusatur matrona quod Æthiopem peperit, pro defensione illius argumentatur, hanc conceptus esse naturam, quam diximus.

Idem *adversus Vigilantium.*

Iste caupo Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino.

Idem *ad Pammachium de obitu Paulinæ.*

Felices, inquit Fabius, artes essent, si de illis soli artifices judicarent.

Idem *ad Pammachium de optimo genere interpretationis.*

Hilarius nostrorum temporum confessor, duodecim Quintiliani libros stylo imitatus est et numero.

Idem *in Quæstion. ad Damasc.*

Nec aures Quintiliani flosculis, et scholari Declamatione mulcendæ.

Idem, *Præfat. in Abdiam.*

Dicit et Tullius tuus adolescentulo sibi inchoata quædam et rudia excidisse. Si hoc ille tam de libris ad Herennium, quam de rhetoricis, quos ego perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit: quanto magis ego libere profiteor et illud fuisse puerilis ingenii, et hoc maturæ senectutis. In libris quoque contra Marcionem Septimius Tertullia-

nus hoc idem passus est, et Origenes in Canticis canticorum, et Quintilianus in XII libris Institutionis Oratoriæ, ex quibus ostenditur unamquamque ætatem in quo esse perfectam, et ex annorum debere numero judicari.

Sid. Apollinaris, *lib. V, epist. X Sabaudo.*

Tua vero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agræcii disciplina, fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorini, non modo non superiora, sed vix æquiparabilia scribantur. Sane ne videar sub hoc quasi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quidpiam gratificatusque, solam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius acquiesco.

Idem *in panegyrico ad Anthemium, vers.* 190.

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus, nunquam sine laude loquendus.

Idem, *carmine IX ad Magnum Felicem cos. vers.* 311.

Acrem Lampridium, Catum, Leonem,
Præstantemque tuba Severianum,
Et sic scribere non minus valentem,
Marcus Quintilianus ut solebat.

Rufinus, *Gram. Antiochens. Comment. in metra Terentiana.*

Quintilianus in arte, etc.

Aur. Cassiodorus, *de Rhetorica, ex lib. Disciplinis.*

Quintilianus etiam doctor egregius, qui post fluvios Tullianos singulariter valuit implere quæ docuit, virum bonum dicendi peritum a prima ætate suscipiens, per cunctas artes ac disciplinas nobilium litterarum erudiendum esse monstravit, quem merito ad defensionem sui totius civitatis vota requirerunt. Libros autem duos Ciceronis de Arte rhetorica, et Quintiliani duodecim Institutionum indicavimus esse jungendos, etc.

Idem *in Chronico ex Hieronymo, ut videtur.*

Silvano et Prisco coss. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam aperuit, et salarium e fisco accepit.

Isidorus, *Hispalensis, lib. II, Etymolog. de Rhetorica.*

Hæc disciplina a Græcis inventa est, Gorgia, Aristotele, Hermagora, et translata in Latinum, a Tullio videlicet, et Quintiliano, et Ticiano, sed ita copiose, ita varie, ut ea lectori admirari in promptu sit, comprehendere impossibile. Nam membranis retentis, quasi adhærescit memoriæ series dictionis: at mox repositis, recordatio omnis elabitur.

Vetus interpres Lucani, ad eum locum lib. IV:

Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet.

Sensus, inquit, hic est: Non est putanda brevis vita, quæ habet spatium, quo unusquisque sibi quærat exitium: quod non evenit, nisi forti viro, qui facile contemnit interitum. Unde Quintilianus: « Faciamus de funere remedium, de necessitate virtutem: solus vixit quoad voluit, qui mori maluit. »

Erasmus *in Ciceroniano.*

Quintilianus affectavit Ciceroni dissimilis esse. Cujus utinam exstarent Declamationes; nam quas habemus minimum habent Ciceronis.

Muretus, *lib. XVIII, Var. lect. cap.* 20.

Me puero magna cum cura exponebantur in scholis Institutiones Oratoriæ M. Fabii Quintiliani, accurati admodum et exquisiti rhetoris; neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur, qui non illis vel præcipue auditores suos exercere solitus esset. Mutata postea ratio est, quumque annosis istis et ipsa vetustate venerandis arboribus neglectis, succrevissent inutiles rami, juventusque laboris fugitans insulsos quosdam libellos, et omnium prope liberalium artium, et omnium phi-

losophiæ dispendiosa partium compendia, pro pinguibus illis veterum latifundiis adamare cœpisset, ex illo vidimus omnia

In pejus ruere et retro sublapsa referri.

Neque ullum lapsis prope rebus certius remedium est, quam ut vetus illa consuetudo revocetur, et expulsis istis novitiis indoctæ arrogantiæ magistris, a priscis illis, quos *endo cælo*, ut ita dicam, merita locarunt, vera et solida eruditio repetatur. Quod etsi, ut ætatis meæ tempus est, vivo me eventurum sperare non audeo, posteris tamen, si quid mei ad posteros perveniet, contestatam opinionem meam relinquam; neque committam, ut ego quoque unus ex eo numero, qui vetustatem contemnunt, videri queam.

Anton. Possevinus, *Biblioth. select. tom. II, lib. XVIII, p.* 505.

Quintilianus vir magni nominis, uti et judicii; quamvis quæ feruntur ejus nomine Declamationes (quæ videntur esse ipsius) longe absint ab ejus præceptionibus, quas scripsit de arte dicendi.

Philippus Rubenius, *lib. I, Elector. cap.* 16.

Petrus Pithœus multimodis rem litterariam bene juvit, non minimum autem eo, quod bonas et argutas illas Declamationes Quintiliani primus et tenebris eruit et emendavit.

Casaubonus *ad Persii Satir. I, vers.* 76.

Magnus ille magister eloquentiæ Fabius.

Emer. Casaubonus, *de Lingua hebraica, pag.* 30.

Emunctissimæ naris et judicii vir Quintilianus.

Lipsius, *lib. II, Elect.* 18.

Quintilianus priscus ille et Atticus (ita me judice audiet) declamator.

Judicium GER. VOSSII *de* DECLAMATIONIBUS QUINTILIANI. *Vide illum Inst. Orat. lib. I, cap.* 11.

Quum Quintiliani declamatoris mentio fiat apud M. Senecam patrem, procœmio lib. X, Controv. 4, non minus eorum placet sententia, qui eas avo hujusce Quintiliani adscribere malunt. At undeviginti illæ Declamationes, quæ et ipsæ Quintiliano vulgo inscribuntur, ac Rhetoricis Fabii libris subjici solent, neque ejus sunt, qui Declamationes alteras facit (nihil enim simile) neque illius, qui Institutiones Oratorias scripsit; cui eas Erasmus quoque abjudicat in Ciceroniano suo: et merito, quandoquidem ut monuit Lud. *Vives*, lib. IV de Corrupt. disciplin. plane alienæ sunt a Fabii præceptis, et tales, ut contra istiusmodi potissimum invehatur. Tum in codd. quibusdam MSS. M. Floro tribuuntur, ac a nonnullis etiam esse creduntur Posthumi Junioris, eo quod Trebellius Pollio dicat, scriptas ab eo esse Declamationes, quas ævo suo Quintiliani esse putarent. Vide et Vossii lib. de Rhetoricæ natura, cap. VI, ubi de Vallæ judicio, qui lib. I, Antidot. adv. Poggium dixerat, neminem posse neque Quintilianum intelligere, nisi Ciceronem optime teneat, neque Ciceronem probe sequi, nisi Quintiliano pareat. Neque unquam fuisse quempiam eloquentem post Quintilianum, nec esse posse, nisi qui se totum arti ejus formandum, imitationique tradiderit.

BARTHIUS, *lib. XXXI Adv. cap.* 5.

Qui omnibus omnino scriptoribus M. Fabium prætulit, non ille quidem abs ratione audacter judicavit. Nulla enim virtus romani stili est, quam non expleat; quum quicunque ex cæteris summam attigere, habeant singuli tamen, in quo vel abundent, vel deficiant.

Idem, *lib. XLVIII*, 19.

De Quintiliani, non audeo universo opere pronunciare, hac tamen parte, qua de poetis loquitur, omnino mihi nescio quomodo sacris eorum minus initiatus videtur, quam pro censore.

Idem, *lib. LVI, cap.* 11.

Ego ut tanto rhetori nihil non concesserim, ita de poetis illum vellem alia nonnunquam in suo illo campo ipsi concessa ratione, censuisse. Si enim excusseris pleraque, si qui poetis legendis ætatem triveris, apparebit facile, alia te exspectasse judicia de tanto præceptore. Sic Horatium inter lyricos vel solum dignum lectu existimat; illa sua asinitate haud dubio causam præbens, ut tot monumenta cæterorum poetarum, de eo genere primum variis descripta, post prorsus neglecta fuerint, et ita, immani scelere, prorsus abolita, etc.

Idem, *ad Statii lib. VI, Theb.* 93.

Caput Quintiliani (primum libri X) quod de auctoribus nobilioribus judicat, mihi prorsus omnium illius auctoris obvenit mendosissimum, nec talibus tamen nævis, qui a quovis facile tolli possunt. Ipsius autem doctrinam longe ampliorem haberem, si tale id nunquam scripsisset. Ingeniosissimus et præceptorum artis suæ valde peritus fuit scriptor, præterea Ciceroni addictissimus, sed in quo Polymathiam exiguam agnoscamus, contemptu insigni intercurrente quæ non legerat. Sed uberius de eo negotio suo loco.

Idem, *præfatione ad Gratii Cynegeticon.*

Quintilianus omnium, qui unquam scripserunt, auctorum elegantissimus, obsistere nisus est suo ævo ingruenti isti tempestati, sed frustra. Quum et hodie non paucos habeat judicii sui contemptores, qui quo altius in divinos auctores animadvertere videantur, eo profundiore nisu eos lancinant.

Idem, *lib. L, ad.* 9.

Hoc certe constat post primos principes romanos refrixisse studium illud scholasticarum Declamationum, a Petronio tantopere exagitatarum. In causa fuerit fortean Quintilianus, etiam perfecto suo opere Institutionum, cujus omnes alii rhetores sunt analectæ.

MORHOFIUS, *de Patavinitate Liviana, cap. XII.*

Quintilianus, quo nemo artem oratoriam inter Latinos elegantius adornavit, annon Hispanus? Et hunc tamen, si Ciceronem exceperis, omnibus præferre non dubitant nonnulli, etsi Philelphus in illo Hispanitatem invenisse sibi visus est.

TESTIMONIA
GALLICO SERMONE SCRIPTA
DE QUINTILIANO.

1° DICTIONNAIRE DE BAYLE.

QUINTILIEN était de Calagurris en Espagne. On prétend qu'il fut amené à Rome par Galba, et il est certain qu'il y enseigna la rhétorique avec beaucoup de réputation. Il fut le premier qui l'y enseigna publiquement et aux gages de l'État. Il fut déchargé de cette pénible profession, après l'avoir exercée pendant vingt années (Instit. lib. I, procem.). Il eut à souffrir plusieurs afflictions domestiques, qui pensèrent mettre à bout toute sa constance, et qui l'obligèrent à se plaindre de la cruauté du destin: il vit mourir sa femme qui n'avait que dix-neuf ans. Elle lui laissa deux fils, dont l'un mourut âgé de cinq ans, et l'autre de dix. Celui-ci était l'aîné, et avait des dons extraordinaires; il voyait s'ouvrir devant lui la carrière des dignités. Quintilien ne se borna pas à donner des règles de bien parler; il produisit son éloquence dans le barreau: il plaida pour la reine Bérénice devant elle-même. Il passait pour un si bon avocat, qu'on écrivait ses plaidoyers pour les

vendre aux libraires, ce qui ne se faisait pas avec une grande fidélité. Quelques uns croient qu'il fut consul : il est plus certain qu'il fut précepteur des petits-fils de la sœur de Domitien. On n'est pas certain s'il était le fils ou le petit-fils de l'orateur dont Sénèque le père a dit quelque chose. Plusieurs critiques donnent à cet orateur les Déclamations qu'Ugolin de Parme, et ensuite Pierre Pithou, ont publiées. Mais les Institutions oratoires passent constamment pour l'ouvrage de notre Quintilien. Il fut retrouvé par Pogge au monastère de Saint-Gall. La république des lettres eût extrêmement perdu si les œuvres de Quintilien eussent péri : car c'est un auteur excellent; et il serait à souhaiter que tous ceux qui font des livres ne les composassent qu'après avoir lu celui-là avec beaucoup d'attention. Je suis bien fâché de n'avoir connu que trop tard l'importance de cette conduite. M. de La Fontaine, qui se connaissait si bien en bonnes choses, estimait infiniment ce rhéteur. Voyez, dans ses OEuvres posthumes, les vers qu'il envoie à M. l'évêque d'Avranches, en lui donnant un Quintilien de la traduction d'Horatio Toscanello. M. Nicolle le père, et M. l'abbé de Pure l'ont mis en français. L'édition la plus correcte que nous ayons est celle de M. Obrecht. On y a mis, comme dans toutes les autres, le dialogue *de Causis corruptæ eloquentiæ*. Ce n'est pas pourtant l'opinion de tous les critiques, que Quintilien ait fait ce dialogue. Plusieurs l'attribuent à Tacite, et on l'imprime ordinairement avec les œuvres de cet historien. Ce qu'il y a de bien véritable, c'est que notre auteur avait fait un livre *de Causis corruptæ eloquentiæ*. Je le crois perdu, et ne doute nullement qu'il ne fût de la même force à proportion que ce qui nous reste de cet écrivain. Je n'ai point marqué toutes les parties de son mérite : il faut que je dise encore qu'il paraît très honnête homme dans son ouvrage, et qu'on y trouve beaucoup de mœurs. On le blâme d'avoir trop loué l'empereur Domitien, et quoiqu'il ne l'ait fait qu'en passant, et d'une manière très fine (Instit. lib. I, ch. 1), on ne lui pardonna pas cette faute, qui paraît sans doute très grande à ceux qui ont lu l'histoire de ce méchant prince.

Cet article eût pu être bon si j'avais eu les *Annales Quintilianei* de M. Dodwel; mais, par une infortune dont je me plains si souvent, qui est que je suis destitué des livres qui me seraient les plus nécessaires, il m'a été impossible de consulter cet ouvrage-là.

2° La Harpe, *Cours de Littérature* (*Anciens, liv.* 2, *chap.* 1, *t.* 2, *pag.* 229.)

Sur Quintilien, Institution oratoire.

Si quelque chose peut donner un nouveau prix à ce livre immortel, c'est l'époque où il fut composé. C'était celle de l'entière corruption du goût; et ce qu'entreprit Quintilien fait autant d'honneur à son courage qu'à ses talens. Né sous Claude, il avait vu finir les beaux jours de l'éloquence, longtemps portée à son plus haut degré par Cicéron et Hortensius, et soutenue ensuite par Messala et Pollion, mais bientôt précipitée vers sa décadence par la foule des rhéteurs qui ouvraient de tous côtés des écoles d'un art qu'ils avaient dégradé.

. . . . . .

On vit dans Quintilien le restaurateur des lettres. On se réunit pour l'engager à enseigner publiquement un art qu'il possédait si bien, et on lui assigna des appointements sur le trésor public, honneur qu'on n'avoit encore fait à personne. L'empereur lui confia l'éducation de ses neveux, et le décora des ornements consulaires. Quintilien, pour mieux répondre à la confiance et à l'estime qu'on lui témoignait, renonça aux exercices du barreau, quelque attrait et quelque avantage qu'ils lui offrissent, et se consacra pendant vingt ans à donner des leçons à la jeunesse romaine. C'est dans la retraite qui suivit ce long travail, qu'il composa ses Institutions Oratoires: il avait alors près de soixante ans. L'antiquité nous a transmis son nom avec les plus grands éloges, et Martial l'appelle *la gloire de la toge romaine.*

Mais son plus bel éloge est sans contredit son ouvrage.

. . . . . .

Comme les sujets communs des discussions judiciaires ne paraissaient pas aux rhéteurs assez importants pour y faire briller leur esprit et piquer la curiosité, ils imaginaient à plaisir les questions les plus bizarres, les causes les plus extraordinaires, et telles qu'elles ne pouvaient que très rarement se présenter dans les tribunaux. Nous avons encore des essais de ces controverses imaginaires, les uns de Sénèque, le père du philosophe; d'autres très faussement et très ridiculement attribués à Quintilien, etc.

3° Schoell, *Histoire abrégée de la Littérature romaine.*

L'ouvrage par lequel Quintilien a rendu son nom immortel, est intitulé *de Institutione Oratoria;* il est en douze livres. Quintilien l'a dédié à son ami Marcellus Victorius. Ce n'est pas seulement un traité de rhétorique; il renferme un plan d'études pour un orateur, depuis les premiers éléments de la grammaire. Quintilien y a déposé les résultats d'une longue expérience et de méditations profondes. Il y a fait preuve d'un excellent jugement et d'un esprit de critique admirable, d'un goût épuré et d'une lecture variée. Cet ouvrage est préférable à tout ce que nous avons de Cicéron sur la théorie de l'éloquence; Quintilien a profité des préceptes de ce grand maître, mais il ne s'arrête pas au point où Cicéron est resté; il a ajouté au travail de celui-ci les observations qu'une longue pratique lui avait suggérées. Il a formé son style sur Cicéron, et écrit avec une élégance qui le placerait à côté des grands modèles du siècle d'Auguste, si quelques expressions obscures et affectées ne trahissaient l'écrivain de la fin du premier siècle après J. C. Son dixième livre, où il parle des auteurs classiques grecs et latins, est un des plus instructifs, et d'une haute importance pour l'histoire de la littérature ancienne.

Le temps ne nous a conservé que deux manuscrits originaux des Institutions de Quintilien. L'un, qui est complet, fut trouvé, à l'époque du concile de Constance, dans une tour de l'abbaye de Saint-Gall, par le célèbre Pogge de Florence; il en fit une copie qui est aujourd'hui en Angleterre. A peu près

à la même époque, Léonard Arétin découvrit en Italie un second manuscrit, mais très défectueux. De ces deux originaux dérivent tous les autres manuscrits de l'ouvrage de Quintilien. On ne sait pas ce que celui de Saint-Gall est devenu.

Il existe sous le nom de Quintilien dix-neuf grandes, et quarante-cinq petites Déclamations, qui ne sont que des extraits; c'est à tort qu'on les a attribuées à Quintilien. Elles sont évidemment d'un siècle bien plus récent, et probablement de plusieurs autres. Gérard Vossius[1] pense qu'elles sont de Postumius le jeune, qui fut du nombre de ces empereurs éphémères qu'on appelle les trente tyrans: quelques manuscrits nomment comme leur auteur un certain M. Florus, personnage entièrement inconnu.

1. *De rhet. nat. et const. p.* 108. — *Cæterum vide hanc quæstionem multo prolixius in Quintiliano nostro agitatam, tom. V, Præfat. pag. xiij sqq.* Ed.

M. FABII QUINTILIANI VITA*.

Marcus Fabius Quintilianus Romæ natus est, quibus consulibus, aut quo imperante Cæsare, non legi. Verissima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur, Quintilianus Calagurra urbe Hispaniæ oriundus. Nam M. Valerius Martialis, Calagurritani agri alumnus, quum Hiberos memoria dignos suos, suis epigrammatibus inserat, nullam de Quintiliano mentionem fecit, sed eum separatim cum veneratione nominat, epigr. II, 90:

> Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
> Gloria romanæ, Quintiliane, togæ.

At ipse dicit, quum esset adolescentulus, cognovisse Domitium Afrum et Senecam, qui ambo sub Nerone periere. Seneca in libro sexto Divisionum Quintiliani declamatoris meminit, cujus adhuc exstant multæ Declamationes acutæ et breves, stylo aliquantulum remissiore. Is avus fuit Mar. Fabii Quintiliani, qui Romæ multis annis Rhetoricen cum summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mentionem facit patris, qui

* Bis comparet hæc Vita in editione Veneta 1494, quæ in ipso titulo dicitur esse « cum commentario Laurentii Vallæ, etc. » primum in fronte, deinde ad calcem operis. Priore autem loco postremis narrationis verbis continuo additur: « Sed jam ad ipsam interpretationem venimus. »

causidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia caruit. Domitiani enim Cæsaris nepotum cura ei delegata fuit. Disciplinæ ejus castigatissimæ plenissimum testimonium C. Cælius affert: qui sub tali præceptore tantum profecit, ut sui temporis oratores facile superaverit. Duxit uxorem ex nobili familia, ex qua liberos suscepit, quæ acerbissima fatorum sorte in primo juventutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, quum librum de Causis corruptæ eloquentiæ edidisset, amisit. Postea quum Rhetorices libros scriberet, Quintilianum filium unicum, parentis lumen ac solatium rogo dedit. Testis et ipse infelix senex suarum lacrymarum est. Ejus filiola ex alia, ut credo, uxore, Tutilii equitis Romani filia genita, nupsit Novio Celeri[1], viro claro. Quo tempore decesserit, affirmare non audeo, quoniam is, qui tradit, fide caret.

1. *Novio Celeri.* Legendum est *Nonio Celeri.*

ANNALES QUINTILIANEI,

SEU

VITA M. FABII QUINTILIANI

PER ANNALES DISPOSITA

AB HENRICO DODWELLO.

I. M. FABIUM, de quo agimus, Quintilianum ego sub Claudio natum fuisse nullus dubito, nec longe ab imperii illius initio. De Domitio enim Afro præceptore suo[1] sic ipse meminit, ut se alio loco, quum illum audiret, juvenem[2] fuisse significet, alio autem adolescentulum[3]. Hinc facile colligimus, cœptam fuisse duntaxat illam adolescentuli juventutem. Nuperam scilicet a toga virili, quæ anno demum ætatis XV labente[4] erat, pro Romanarum legum disciplina, sumenda. Ætatem enim jam puberem quidem, sed togæ prætextæ proximam designat vox illa utraque, tam juventutis quam etiam adolescentiæ. Ita Nero Germanici filius, Caligulæ frater natu maximus, juventam ingressus fuisse[5] dicitur, quo die forum ingressus est, et puber habebatur, pro censu Romano. Sic etiam Nero alter, qui postea Augustus erat, toga virili sumpta, licet maturata, princeps[6] juventutis

1 Quintilianus, quum Domitium Afrum audiret senem, ipse juvenis erat et adolescentulus.

2. Quint. Inst. lib. X, cap. 1.

3. Quint. Institut. libr. V, cap. 7.

4. Vide Præl. V et X ad Sp. Adrian.

5. Tacit. Ann. III, 29.

6. Tacit. Ann. XII, 41.

appellatus est. Quo etiam eodem exemplo, non juniores tantummodo Nerone principes juventutis[1] cognominati sunt, sed antiquiores etiam Caius et Lucius Augusti nepotes, et per adoptionem filii, quum scilicet togam puerilem prætextam exsuerent. Sic etiam puero nomen adolescentis opponit Cicero[2] ut plane innuat pueritiæ proximam fuisse illorum etiam temporum adolescentiam. Nec sane alia ætas erat, quæ et rhetores audire solebat in schola, et oratores in foro etiam senatorios, qualis erat Quintiliani præceptor ille Domitius, ab hac ipsa pueritiæ proxima juventute atque adolescentia. Sic enim ætatem, quæ rhetoribus formanda tradi solebat, Quintilianus ipse describit: « Nam et « adulti, inquit[3], fere pueri ad hos præceptores transfe« runtur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant. » Proinde cavet ne permixti invicem sederent pueri[4] adolescentibus : idem ergo cum juvenibus illi illius adolescentes, puerisque ambo ætate proximi. Quum adultos fere pueros fuisse dicit, qui a grammaticis ad rhetoras transferrentur, id una innuit, et minores fuisse, et tamen proximos, nec adeo multo minores illos, annis adolescentiæ; X certe ætatis annum egit ipsius Quintiliani filius, quem deflet, major, quem tamen nondum rhetoricis studiis instituerat. Hos enim libros propterea scripsit, ut, si se fata[5] intercepissent, præceptore tamen patre uteretur. Nondum ergo præceptore patre usus decennis tamen puer, et qui spem cultus optimam pollicebatur. Majores ergo pueros fuisse arbitror, qui rhetobus instituendi tradebantur; pro ea nimirum majorum

1. Præl. XVIII ad Sp. Adrian. §. 10.
2. Cicer. ad Attic.
3. Quint. Inst. lib. II, cap. 2.
4. Quint. ibid.
5. Quint. Inst. lib. VI, procem.

minorumque puerorum distinctione, quæ recepta est in censu disciplinaque Romanorum. Ea autem pueritia a X[1] cœpit, ni fallor, ætatis anno; sed eo tamen penitus expleto. Majoribus certe pueris accersitus est duodecennis Tiberius[2]. Sed quum adultos fere dicat Quintilianus, adolescentes autem sub rhetorum disciplina perseverasse; non multo sane anno XIV minores fuisse docet, et a majoris etiam pueritiæ citimis limitibus paulo remotiores. Itaque, quo propius adolescentiæ limites attingebat pueritia illa a rhetoribus instituenda; eo profecto ulterius in adolescentiam ipsam incurrisse necesse erat eamdem illam institutionem. Sed vero eadem ætate, qua in schola rhetoras, in foro oratores etiam senatorios audiebat idem ille, seu juvenis, seu adolescens. Sic enim auctor Dialogi de Oratoribus: « [3] Juvenis «ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori au«ditor, sectator judiciorum, eruditus et assuefactus alie«nis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges, non «novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo «concionum, sæpe cognitæ populi aures etc. » Nec illud modo: fabulas[4] etiam M. Apri et Julii Secundi, et disputationes, et arcana semotæ dictionis excipiebat auctor ipse dialogi; oratorum scilicet senatoriorum, qui juventutem publice instituendam non susceperant. Domesticam enim disciplinam ne quidem illi dedignabantur, qui scholas tamen publicas aspernabantur, seque indignas judicabant. Ita Hirtium et Dolabellam, non autem Pansam, ut vult Suetonius[5], discipulos et grandes prætextatos agnoscit Cicero[6] jam senator. Quum

1. Præl. XVIII ad Sp. Adrian. §. 9.
2. Ibidem.
3. De Orat. cap. 34.
4. De Oratore, capit. 2.
5. Suet. de clar. Rhetorib. cap. 1.
6. Cic. lib. IX ad Pat. Ep.

grandes prætextatos appellat, ætatem una significat fuisse prætextatam, qua oratorum discipuli domesticis institutionibus interesse solebant. Propterea enim pro prætextatis illos habuit, quod idem facerent quod facere solebant non alii, quam prætextati prætextatisque ætate proximi. Fuitque admodum juvenis [1] auctor Dialogi de Oratoribus, quum illos, quos dixi, oratores senatorios domi etiam audiret. Juvenes jam atque adolescentes in hac causa eosdem fuisse probavimus. Cur itaque dubitemus, qui admodum juvenis erat, illum eumdem fuisse cum adolescentulo? Et sane accepta virili toga in forum deduci solebant adolescentes. Ita licuit ab ea usque ætate oratores etiam in foro audire senatorios. Proinde hac ipsa ætate, qua rhetorum scholas frequentavit Quintilianus, forum etiam et judicia publica adiit, et domestica oratorum senatoriorum colloquia, ita nimirum celeberrimorum tunc temporis Oratorum erudiendus experimentis. Horum autem oratorum senatoriorum præstantissimum agnoscit hunc Domitium Afrum non uno in loco Quintilianus. Nec modo forensibus ejus orationibus usus est, verum etiam domesticis colloquiis. Libros illius duos de Oratoris officio [2] in audiendis testibus non perlegerat tantummodo, verum etiam maximam eorum partem ex ipso cognoverat; illis proculdubio colloquiis. Is enim non senator solum, verum etiam consularem [3] in senatu gradum assecutus fuerat jam olim imperante Caligula. Ita rhetor esse non potuit, nec scholæ adeo publicæ vacare. Hæc ergo prima illa pueritiæque proxima ætate noster Quintilianus.

II. Videamus porro quousque extendenda sit [4] ætas

1. De Orat. cap. 1.
2 Quint. Inst. lib. V, cap. 7.
3. Dio, lib. LIX.
4. Ætas illa juvenis atque adoles-

juvenis atque adolescentuli. Ego illam ad annum usque ætatis XVII, pertigisse puto, supremum nempe veteris pueritiæ limitem; ut proinde nondum adolescens ille, sed adolescentulus fuerit appellandus. Ab anno certe XVIII judices[1] erant, quibus id licuit, pro jure census atque natalium. Et novum ab eodem illo anno XVII militiæ gradum deductum observavimus in Annalibus nostris Velleianis[2]. Pro suo etiam vitæ studio, munere virili congruo quisque erat occupandus. Deduci enim solebant in forum, quum togam sumerent, ut diximus, virilem. Primo nimirum ut judiciis publicis interessent, orationibusque celeberrimorum sui temporis oratorum, ad annum illum, quem dixi, XVII. Tum deinde licuit (quibus ea esset sui fiducia) ut causas ipsi publicas etiam perorarent. Ego certe ipso ætatis anno Aphobum tutorem accusavit[3] Demosthenes. Sic etiam Romanis licuisse verisimillimum est, Græcæ profecto disciplinæ, in Græca præsertim arte, æmulis. Non longe inde discedunt veterum celeberrimorum exempla, quorum ullam retinemus hodieque memoriam. Anno ætatis XIX causam egit Quintiliani discipulus[4] Plinius junior, his ipsis proximus, de quibus agimus, temporibus. «Nono[5] decimo ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, «uno et vicesimo Cæsar Dolabellam, altero et vicesimo «Asinius Pollio C. Catonem, non multo ætate antece«dens Calvus Vatinium: iis orationibus insecuti sunt, «quas hodieque cum admiratione legimus,» inquit auctor Dialogi de Oratoribus. Sic etiam Calvum, Cæsarem, Pollionem, multum ante quæstoriam omnes æta-

ceratuli ab anno XIV pertingebat ad annum XVII expletum scilicet.

1. Vid. Prælect. V ad Spartian. Adrian. §. 12.

2. Annales Velleiani, §. 10.

3. Dem. in Aphob.

4. Plin. lib. V, ep. 8.

5. Dial. de Orat. cap. 34.

tem (quæ annorum erat, ut alibi [1] ostendimus, XXV) gravissima judicia suscepisse observavit ipse [2] Quintilianus. Paulo serius primam causam egit Cicero [3], anno nimirum ætatis XXVI. Sed prætextatos [4] egisse quosdam, non quidem ipse meminerat, sed traditum tamen (a majoribus nimirum) testatur Quintilianus. Ea ætate erat Augustus, duodecim scilicet annos natus, quum aviam pro rostris laudaret, non Quintiliano [5] duntaxat teste, verum etiam Suetonio [6]: ne alibi funebrem illum sermonem, quam in foro, ubi erant rostra, fuisse suspicemur. Biennio videlicet ante togam, ut alibi ostendimus [7], virilem; non autem quadriennio, ut videtur velle Suetonius [8]. Quamquam autem in loco publico, non populi tamen, sed gentis Octaviæ privata erant illa solennia. Morem alioqui receptum in eo violatum exinde constat, quod ante togam virilem ne quidem solerent in forum deduci. Tantum aberat ut in foro publicisque adultorum cœtibus licuerit concionari. Eadem enim erat, illis temporibus, puerorum impuberum sub pædagogis agentium fere disciplina, atque fœminarum. Vetat, ut vidimus, Quintilianus ipse ne, vel in scholis rhetorum, permixti sederent pueri cum adolescentibus. Quanto magis cavendum erat ne palam in promiscuis virorum conventibus versarentur? In fœminis certe inhonestum hoc fuisse, pro moribus antiquis ostendit apud Livium Cato [9] censorius. Ideo tutores utrisque assignati, tam pueris quam mulieribus, qui eorum personas in publico sustinerent. Mox tamen a virili toga, fori aditu

1. Præl. X ad Sp. Adrian. §. 8.
2. Quint. Inst. lib. XII, cap. 6.
3. Quint. ib. et Gell. Noct. Att.
4. Quint. ib.
5. Quint. ib.
6. Suet. in vita Aug. cap. 8.
7. Vid. Prælect. V ad Spartian. Adrian. §. 1.
8. Suet. Aug. cap. 8.
9. Liv. lib. XXXIV, cap. 2, 3, 4.

patefacto, ne quidem ita licuit in foro concionari. Vidimus quidem exempla concionantium annum, quem dixi, XVII non multo superantium. Qui hoc anno non expleto hoc ausus fuerit, nondum vidimus. Suppeditat tamen, ni fallor, Valerius Maximus[1] M. ille Cottam dicit, quum a Capitolio descenderet, quod toga virili sumpta factum, Cn. Carbonem patris accusatorem ipsum accusasse. Hoc ille primo quoque, quo per leges licuit, tempore, factum innuit, paulo post tumultus junioris Gracchi, quibus pater fuerat accusatus. Hoc tamen tempore obtinuit, ni fallor, pueritia illa Servii Tullii vetustior, non ante annum ætatis XVII absolvenda. Paulo antea obtinuisse probare possemus, si id ageremus. Est autem admodum incertum initium pueritiæ junioris anno XIV terminandæ. Hoc tantum scimus fuisse imperatoribus antiquius. Quod si recte pueritiam illam Cottæ de veteri pueritiæ meta intellexerimus; ita duo in nostram sententiam apprime facientia lucrabimur. Primo mox ab anno XVII absoluto licuisse concionari; secundo tum primum licuisse, quum nihil sit cur dubitemus, primam quamque illius accusationis occasionem legitimam a M. Cotta vindictæ avido fuisse captatam. Estque sane hæc ætas media inter ætatem Augusti aliorumque a Quintiliano memoratorum, quam probat ipse maxime in suo oratoriæ Candidato. Vult enim ille, ut neque « præpropere[2] distringeretur immatura frons, et « quidquid esset illud acerbum proferretur: nec rursus « differendum esset tirocinium in senectutem. » Ætas porro illa, cujus annos definire noluit, juvenilis tamen erat, et virium tenerarum. Sic enim postea: « Cæterum « illum quem juvenem, tenerisque adhuc viribus niten-

1. Valer. Maxim. lib. V, cap. 34. 2. Quint. Inst. lib. XII, cap. 6.

« tem, in forum deduximus, incipere a quam maxime « facili ac favorabili causa velim, ut catuli ferarum mol- « liori præda saginantur. » Sed consilium erat Quintiliani, ne primo statim, quo licuit, tempore in foro causas orarent adolescentes. Non tamen negat jus fuisse illis agendi, si vellent auderentque, hac ipsa, de qua loquimur, ætate. Inde consentaneum erat, ut ætate qua jus erat agendi, satis instructus esset ad usum fori, a studiis oratoriæ adolescens, quem hic formandum susceperat: inde rursus, ut eadem etiam plerumqne ætate finis esset temporis in artis oratoriæ studio, pro illius seculi scholarumque rhetoricarum methodo, ponendi.

III[1]. Olim certe licentiam fuisse, mox a toga virili, in foro agendi, vel ex illo M. Cottæ colligitur exemplo. Fuitque hæc ipsa, de qua loquimur, ætas par veterum, ut dixi, pueritiæ. Et sane congruum erat, ut quum togæ prætextæ annos contraxissent, in sumenda toga virili; nonnulla tamen puerilis disciplinæ vestigia observarentur, dum veteris etiam census pueritiam exsuissent. Et ne quidem illud incongruum ut, habita puerilis verecundiæ ratione, a concionibus publicis aliquantisper abstinerent. Nequit autem, fateor, hujus ætatis mensura e juventutis nomine colligi, quo usus est Quintilianus. Ex alia tamen illius voce recte, ni fallor, elicitur. Est enim adolescentulus ille, qui admodum adolescens aliis appellatur; qui prima esset adolescentia, quæ a Cicerone[2] memoratur atque Suetonio[3]; qui ita adolescens esset, ut nondum tamen finem fecisset adolescendi, ut ægre nomen ipsum tueretur adolescentis, adolescen-

1 Hæc erat adolescentia imberbis; cœpit autem adolescentia barbatula ab anno XVIII expleto, pertigitque ad annum primæ barbæ ponendæ, ætatis nimirum XXI.

2. Cicer. Ep. I, 9, ad Lentul.

3. Suetonius in Oth. cap. 2; Domitian. cap. 1.

tulus proinde rectius, quam adolescens appellandus. Recte nimirum quadrant hæc omnia in mediam illam ætatem inter novam veteremque pueritiam. Hæc enim, novo censu adolescentia habebatur, veteri pueritia tantummodo, nondum adolescentia. Ita dubia fuerit hujus ætatis vel adolescentia. Nec alia sane ætas esse potuit, qua flagris a patre objurgatus est Otho, disciplina plane puerili, vel illius saltem ætatis, quæ rhetorum scholas frequentabat, tam puerorum quam etiam juvenum, seu adolescentum. Ita ferula objurgari apud eumdem legimus Suetonium [1]. Ferulam autem in scholis agentium discipulorum fuisse constat e Juvenali [2]. Nec aliter de pueris poeta [3] alius:

..... Solea puer objurgabere rubra.

In eo tantum discrimen, quod solea pueri, ferula juvenes objurgarentur. Nec alia certe prima adolescentia Domitiani, quam committit cum ejusdem pubertate Suetonius. Hoc certum ætatem illam Domitiani, et sub Nerone fuisse, et turpibus amoribus idoneam, qualis illa fuerit oportet, de qua agimus: pubertatemque ab anno ætatis XIV arcessit Festus [4]. De hac ætate ita Censorinus [5]: «De tertia autem ætate adolescentulorum tres «gradus, inquit, esse factos in Græcia, priusquam ad «viros perveniatur, quod vocent annorum quatuordecim παῖδα; μελλέφηβον autem quindecim; dein sedecim ἔφηβον; tum septemdecim ἐξέφηβον.» Plane adolescentuli sunt, ut videmus, quorum gradus hosce recenset, pro Græcorum mente, Censorinus. Ita imberbem adolescentulum [6] patrem Clodii adoptivum appellat Cicero,

1. Suet. Calig. cap. 20.
2. Juven. Sat. I, v. 15.
3. Pers. Sat. V, v. 169.
4. Fest. voc. *pubes*.
5. Censorin. de Die nat. cap. 14.
6. Cicer. pro Dom. sua, c. 13, 14.

quem, rotundo usus numero, minorem annis viginti fuisse dicit. Erat ergo adolescentuli ætas imberbis, quæ hoc ipso nomine dubia erat, essetne potius pueritiæ accensenda. A barbæ enim illa veste investes dicti pueri, et vesticipes adolescentes. Nonius: « investes dicuntur «impuberes, quibus propter teneram ætatem nulla pars « corporis pilat. ». Ita pueros barbatis [1] opponit Juvenalis, prima nempe barba vestitis, seu prima potius lanugine. Ab illis enim barbæ pilis finis plerumque censebatur pueritiæ. Sic Isidorus [2]: « Puer a puritate vocatus, « quia purus est, et necdum lanuginem floremque ge« narum habens. » Et barbam vestis nomine intellexit verbis illis Virgilius [3]:

Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Facere tamen ad pueritiæ finem initiumque adolescentiæ censebantur alii quoque sub axillis pili: tunc Hirquitalli dicti pueri veteribus Latinis, τραγίζειν Græcis, seu a libidine, ut vult Festus [4], hircina; seu a fœtore corporis hircino, unde hircum olere apud [5] Horatium, et gens centurionum hircosa Persio [6]; seu denique a voce crassiore hircina, ut voluit Aristoteles [7], et post illum Censorinus. In alis cubare hircum illum testatur Horatius [8], sub alarum valle caprum Catullus [9]. Cum barba etiam prima committit Martialis [10]: sic enim ille:

Inde tragos, celeresque pili, mirandaque matri
Barba.

Erant quidem ex his ætatis signis nonnulla hujus, de

1. Juven. Sat. XIII, v. 55.
2. Isidor. lib. XI, cap. 11.
3. Virg. Æn. VIII.
4. Fest. *Hirquitall.* et *Irquit.*
5. Hor. Serm. lib. I, sat. 2.
6. Pers. Sat. III, v. 77.
7. Aristot. Hist. An. lib. VII.
8. Horat. Epod. XII.
9. Catull. Carm. 7.
10. Martialis lib. XI, ep. 23.

qua agimus, adolescentiæ fine paulo maturiora. Glossæ veteres: Irquis, τραγιῶν παῖς ἀρχὴν ἡβώσας. Sic enim græca recte, uti puto, emendavit Scaliger [1]. Ita initio pubertatis convenerit hircinus ille seu corporis fœtor, seu vocis sonus. Et sane vocis crassiorem illum sonum secundæ annorum hebdomadi exeunti, vel tertiæ incipienti assignat Censorinus [2]. Nec aliter Aristoteles qui post annos illum ponit bis septenos. Sed barbæ tamen nota adolescentiam nostram, pro recepto vulgi sermone, designavit accurate. Primam nimirum intelligimus barbæ lanuginem, quæ imberbem illam adolescentuli adolescentiam proxime excipiebat. Primam certe barbam, et quidem gravem illam, quum demeteretur, ut loquitur Juvenalis [3], anno tamen radebant [4] ætatis XXI: ita nempe gravem ut pyxide aurea conditam Jovi Capitolino consecraret Nero [5] imperator. Proinde annorum aliquot antequam submitteretur, barbam fuisse consentaneum est. Prima adolescentiæ barbatæ lanugo ab anno censebatur ætatis XVIII, eoque, ut videtur, expleto. Hoc nos docet Juvenalis [6], quum barbatum suum, quem puero opponit, quatuor duntaxat annis puero majorem agnoscit, et prima tantummodo lanugine vestitum. Ita prima lanugo in annum XVIII expletum convenerit, quum etiam pueritia in anno XIV similiter expleto terminata fuerit. Inde barbatuli juvenes [7] appellabantur ad illum usque annum, ut videtur, quo barbam primam radebant, ætatis scilicet XXI. Hanc pubertati plenæ ætatem constituunt jurisconsulti [8], usque a temporibus Hadriani.

1. Scalig. ad Fest. voc. *Hirquitalli.*
2. Censorin. c. 14.
3. Juv. Sat. V, 25.
4. Macrob. in Somn.
5. Suet. Ner. c. 12; Dio Xiphilin.
6. Juv. Sat. XIII, v. 56, 57, 58, 59.
7. Cic. ad Att. l. 16.
8. Dig. lib. I, tit. 7, l. 40, 1; lib. XXXIV, tit. 1.

Nec id immerito, etiam pro sententia veterum. Docet enim nos Cicero[1] « annum fuisse unum olim (a toga « scilicet virili, finitaque annorum certe XVII quæ « fuerat olim recepta, pubertate) ad cohibendum bra- « chium toga constitutum, et ut exercitatione ludoque « campestri uterentur. » « Eademque, inquit, erat, si « statim mereri stipendia cœperamus, castrensis ratio, « ac militaris. » Hinc ergo intelligimus, cur raras admodum habeamus virorum facundorum ante annum XIX actiones. Necdum enim licuit, per disciplinam modestiæ juvenilis, brachium extra togam exserere, quod tamen his ipsis temporibus ad pronunciationem necessarium fuisse, ex ipso satis constat Quintiliano[2]: « Leges ille dicit, in pronunciatione, manibus utrisque etiam de toga componenda, a togæ illa cohibitione alienissimas. » Ita ante annum XVIII exactum causas orator agere commode non potuit. Et tamen anno XVII absoluto finem fuisse constat adolescentiæ imberbis, illius scilicet, quæ puerorum socia erat in scholarum rhetoricarum disciplina. Hæc certe adolescentia erat propriissime ita appellata. Inde exoleti audiebant impudici, non certe ultra corporis hircinum fœtorem et primam barbæ lanuginem, injuriis illis opportuni et idonei. Flore nimirum illo, quem veteres appellabant, ætatis marcescente, deinceps adolescendi finem fecisse censebantur. « Exoletus qui adolescere, id est, crescere desiit, » inquit Festus. Florem enim illum adolescentiæ tribuunt Veteres. Hieronymus in Glossario indito : « adolescentia flos ætatis. » Nec aliter Cicero in Topicis. Et « florem ætatis contaminatum » Cæsari exprobravit Cicero[3]. Et

1. Cicer. in Oratione pro Marco Cœlio.

2. Quint. Inst. XI, cap. 3.

3. Suet. Cæs. cap. 42.

« constupratum adolescentulum » memorat [1] Suetonius. Inde intelligimus adolescentulorum, de quibus agimus, hanc fuisse adolescentiam. Fateor equidem Plinium, qui quum primam causam ageret, annum agebat [2] XIX a se tamen haberi pro adolescentulo [3]. Recte id nimirum, si priorem adolescentiæ universæ partem in animo habebat. Adolescentiam enim Varro [4] ab anno ætatis XV ad annum deducit XXX. Sed receptior erat alia adolescentiæ æstimatio a Solonis notissima elegia deducta, quæ ætates per annorum hebdomadas partiebatur, et ab anno proinde ætatis XIV expleto adolescentiam censebat ad annum XXVIII similiter expletum. Ita e Romanis etiam Censorinus [5]: et prædictum S. Hieronymi Glossarium Balliolense: « Adolescentia tertia ætas ho« minis, quæ duabus constat hebdomadibus propter in« tellectum et actionem. » Utrovis modo in dimidiam partem adolescentiæ priorem incidebat ætas illa Plinii adolescentuli, quæ ratio illi esse potuit cur ita loqueretur. Sed et alia quoque ratio fortasse erat, si de barbata illi sermo esset adolescentia. Certe barbatulos illos potius quam barbatos censebant, dum primam barbam posuissent anno, quo dixi, XXI. Forma utique eadem, qua etiam adolescentuli, diminuta. Interim nihil obstat, quo minus vox adolescentuli simpliciter accepta, imberbem potius adolescentiam denotet, quam barbatam. Hi certe erant adolescentuli, quos totos dies apud rhetoras desidere causati sunt Censores [6]. Hoc erat noster in numero Quintilianus. Est tamen alia nonnunquam laxior vocis significatio. In satyrico [7] Petroniano

1. Suet. Vitell. c. 12.
2. Plin. lib. V, ep. 8.
3. Plin. lib. I, ep. 18.
4. Apud Censor. c. 14.
5. Consorin. ib.
6. Ap. Suet. de Rhet. c. 1.
7. Petronius editionis nuperæ, pag. 163.

« Giton annorum circa XVIII, crispus tamen, mollis, « formosus et puer, appellatur. » Alibi tamen idem Giton cum septenni[1] puellula comparatur. Fieri ergo potest, ut pro XVIII, sit potius legendum XIV. Sed nec alibi desunt laxioris usus exempla: Augustum vicennem puerum tamen appellat Brutus[2]. Crispinum etiam sedecennem[3] puerum[4] aliquoties similiter indigitat Papinius Statius. Immo vicennem puerum memorat coævus Nostro Martialis[5]. Sed alia vocis certe ratio est, quum affectu aliquo seu contemptus, seu etiam blanditiarum, adhibetur. Tunc enim proclive est, ut plus æquo deprimatur, pro modo quo res æstimare solent homines illis affectibus præpediti. Alia tamen longe illa, qua pro ætatis temporisque nota usurpatur: tum enim certe vel receptam illam pueritiam designabit, vel ad rem, de qua agitur, designandam prorsus erat inutilis. Hoc autem sensu vocem illam intellexit noster Quintilianus.

IV[6]. Itaque quum suam ille adolescentuli ætatem cum Domitii Afri committit senectute, extremam illam proculdubio senectutem intellexit, quæque mortem Domitii proxime præcesserit. Audivit enim illum ad mortem usque etiam deficientem, seque (quum deficeret) vidisse testatur, quum ne quidem deficiens Domitius a foro tamen abstinuerit. Sed vero Domitii mortem anno demum æræ nostræ christianæ LIX exeunti assignat Tacitus[7]. Ita duo lucrabimur: nec ante annum æræ christianæ XLII, nec post annum XLV, nasci nostrum potuisse Quintilianum. Si antea natus fuisset, non potuit

1. Petron. ed. nuperæ, p. 44.
2. Ap. Cicer. ad Brut. ep. 16.
3. Stat. lib. V Sylv. 2, v. 12.
4. Ib. v. 8, 27, 51, 82.
5. Mart. lib. VII, ep. 13.
6. Quintilianus adolescentulus, quum moreretur Domitius Afer, an. viz. ær. ch. LIX.
7. Tacitus, Annalium libro XIV, capite 19.

appellari, quum Domitius moreretur, adolescentulus, qui, si annum XVII excessisset, primum illum veteris adolescentiæ, et cum pueritia veteri communem, gradum superaverat. Erat enim, ab illo deinceps anno, justus jam adolescens, pro utroque, tam antiquiorum quam juniorum, censu; non autem amplius adolescentulus. Sin post annum XLV natus fuisset; jam puer fuisset solummodo vivo Domitio, et ne quidem ullo censu juvenis aut adolescentulus.

V[1]. Sic tamen inter duos hosce annos Quintiliani natalem ego constituendum existimo, ut ad priorem annum XLII sit propius admovendus. Erat enim, uti vidimus, non jam amplius, quum Domitium audiret, romano censu puer, sed adolescentulus. Itaque togam jam mutaverat, et pro puerili prætexta virilem atque puram induerat; quam tamen non ipso, qui XIV ætatis annum claudebat, natali, sed alio aliquo, qui in annum XV incurrebat, festo, ut plurimum induere solebant. Id enim satagebant, et pro virilitatis honore summo habebant, ut quam possent maxima amicorum pompa atque apparatu in forum deducerentur. Togam ita dedit Quinti fratris filio quinto die festo Liberalium Cicero[2]. Sic consulatus duos ea ipsa de causa suscepit Augustus[3] ut nepotes Caium Luciumque consulari apparatu in forum deduceret. Erant enim diebus festis non vestium duntaxat splendidior ornatus, sed major etiam amicorum, in urbe, frequentia. Inde XV ætatis anno togam frequentius tribuunt auctores, quod eo jam labente, et magna etiam ex parte sæpe elapso, indui

1. Et quidem illa adolescentuli ætate fere expleta. Natus proinde sub finem anni ær. ch. XLII.

2. Cicer. Epist. Famil. ad Attic. lib. V, 20.

3. Suet. Aug. cap. 26.

soleret. Hoc nos alibi exemplis[1] horum superiorumque atque inferiorum temporum ostendimus. Itaque annus ætatis XV fuerit necesse est, quum primum Domitium audiret Quintilianus. Nec tamen moram ejus in Domitio audiendo brevem fuisse verisimile est. Alioqui luxisset, significasset certe, illam tantæ spei frustrationem. Aliter vix potuit toties et tam grato animo memoriam ejus injicere, si brevior fuisset illius cum viro tanto consuetudo. Illum certe Domitium cum Julio Africano censet eorum « quos[2] viderit oratorum longe præstan- « tissimos. » Illum, inquam, « Domitium[3] longe omnium « summum oratorem. » Nec tamen unquam dolet ereptum sibi, quam vellet, maturius, quo adeo moleste fuisset cariturus. Accedit præterea, quod defecerit in fine, in rei oratoriæ existimatione, Domitius. « Vidi, inquit « Noster[4], ego longe omnium, quos mihi cognoscere « contigit, summum oratorem Domitium Afrum valde « senem, quotidie aliquid ex ea, quam meruerat aucto- « ritate, perdentem, quum agente illo, quem principem « fuisse quondam fori non erat dubium, alii (quod in- « dignum videbatur) riderent, alii erubescerent » Hæc certe quum fierent, vix credi potest, tum primum sese Quintilianum ad Domitium contulisse, quum hæc passim recepta esset de Domitio opinio. Vigentem potius florentemque Domitium sectatus est, quum ea demum mutatio ut contigerit, observarit ipse Quintilianus; proinde aliquot, ante Domitii excessum, annis. Nec enim subito observari solent tantæ illæ mutationes, quum soleat minores defectus obscurare fama jam olim acquisita, passimque peritiorum judicio recepta atque

1. Præl. V ad Sp. Adrian.
2. Quint. Inst. lib. X, cap. 1.
3. Quint. Inst. lib. XII, cap. 11.
4. Ubi supra.

celebrata. Accedit denique et aliud diutinæ in Domitii disciplina moræ argumentum, quod duorum a Domitio scriptorum de Testimoniis librorum pleraque sibi ex ipso cognita [1] testetur ipse Quintilianus. Erat enim illud celebrioribus præceptoribus in more, ut dictata eorum scriptis exciperent discipuli. Sic libros duos [2], ante hasce Institutiones, de hac eadem arte oratoria scriptis mandaverant, seque inconsulto, ediderant ipsius Quintiliani discipuli, priorem pueri, posteriorem juvenes. Hos enim fuisse in scholis rhetorum discipulorum ordines jam antea e Quintiliano ipso observavimus. Sic «fabulas oratorum senatoriorum et disputationes, et «arcana semotæ dictionis penitus excepit» [3] auctor Dialogi de Oratoribus, eadem ipse qua Quintilianus, quum Domitum audiret, ætate, admodum juvenis. Eadem etiam cum majoribus illis Quintiliani discipulis. Sed vero pueris vix potuit, pro romana disciplina, libera esse cum oratoribus senatoriis conversatio. Ægre illis foras prodire concessum est, nisi patre comite aut pædagogo. Togam plane virilem sumpserit oportet qui domos oratorum frequentarit. Qui ergo XV ætatis annum cœperat, quum se Domitio Afro traderet imbuendum, fieri certe vix potest, quin annum ætatis XVI in ejusdem disciplina consummaverit. Quum tamen adolescentulus in ejus schola perseveraverit, proinde annum XVII ætatis, quum obiret Domitius, nondum expletum fuisse verisimillimum est. Itaque anni XLII fine natum Quintilianum fuisse crediderim: nec sane longe me a vero ejus natali aberrare puto.

VI [4]. Obstat certe, ne multo serius differri potuerit,

1. Quint. Inst. lib. V, cap. 7.
2. Quint. Inst. lib. I, procem.
3. Dialog. de Oratorib. cap. 1, 2.
4. Cossutianus Capito damnatus

nota quoque alius ætatis suæ a Quintiliano[1] ipso memorata. « Egregie, inquit, nobis adolescentibus, dixisse « accusator Cossutiani Capitonis videbatur, græce qui« dem, sed in hunc sensum: Erubescit Cæsarem timere. » Bis quidem, fateor, e Tacito constat, periclitatum fuisse Cossutianum illum Capitonem. Utrobique de lege Cincia, qua cautum « ne quis ob causam orandam pecu« niam donumve acciperet. » Primo sub Claudio[2], anno æræ nostræ christianæ XLVII: tum deinde sub [3]Nerone, anno ejusdem æræ LVII. Sed posteriorem illam accusationem intellexit certe Quintilianus: priori enim vice non erat nominatim delatus Cossutianus. Sed quum id ageretur, ut lege repetundarum tenerentur qui præmia accepissent advocati, causam suam agi senserunt « Cos« sutianus ille et Suilius, nec judicium, inquit Tacitus, « quippe in manifestos, sed pœnam statui videbant. « Inde Cæsarem circumsistentes ante acta deprecati « sunt. » Nulla hic prorsus erat delatio, nullus accusator; sed pœnæ duntaxat, etiam nemine deferente, metus. « Atqui sub Nerone accusatus est is idem Cos« sutianus a Cilicibus, quasi idem jus audaciæ apud « illum in provincia ratum esset, quod in Urbe exercue« rat. Hic pervicaci accusatione conflictatus, postremo « defensionem omisit, ac lege repetundarum damnatus « est. » Hic locum habuit lingua etiam, quam in Cossutiani Capitonis accusatore observaverat Quintilianus noster, græca: erat enim ea Cilicum. Ita hic annum tenemus, qui in prædictam illam inciderit Quintiliani adolescentiam. Id quoque tenemus, post annum XLIII,

anno ær. chr. 57, adolescente Quintiliano.

1. Quint. Inst. lib. VI, cap. 1.

2. Tacitus, Annalium, libro XI capite 6.

3. Id. Ann. lib. XIII, cap. 33.

ne quidem nasci potuisse. Nec enim ita anno LVII togæ virilis annos potuit implevisse, ut togam sumeret. Immo initio anni LVII accusationem illam Cossutiani fuisse verisimillimum est, si quidem anni superioris fine discesserit e provincia ipse Cossutianus. Sic enim solebant qui in longinquas missi essent provincias, ut sero in provincias appellebant (post mare liberum, mensemque martium aut aprilem, aut aliquando serius Roma profecti), ita sero, nec prius quam ad exitum annus spectaret, Romam redire. A die enim appulsus in provinciam numerandi erant anni, quibus provinciis præficiebantur, ut e Ciceronis provincia constat Ciliciensi, multisque ejus hoc de argumento scriptis epistolis. Sic, nisi anno XLIII ineunte natus fuisset Quintilianus, non potuit anno LVII itidem togam sumpsisse, quæ anno XV affecto sumi solebat, atque adolescentibus accenseri. Melius omnia respondebunt, si anno XLII exeunte natus fuerit, et tamen ante mensem mensisve diem, quo Domitius Afer, post multos tamen inde annos, exstinctus fuerit.

VII[1]. Faciet præterea ad eamdem temporis notam orator alius, eodem quo Domitius anno, eodemque teste Tacito, exstinctus. Servilium illum appellat Tacitus, si tamen idem ille Servilius cum Servilio Noniano quem ab Oratoria celebrat, non noster modo [2]Fabius, sed auctor etiam Dialogi de Oratoribus[3]. Servilium certe Nonianum a se auditum testatur ipse Quintilianus: et quum auditum agnoscit, id simul, ni fallor, innuit, tum illum in foro celebrem fuisse, quum studiis ope-

1. Auditus etiam a Quintiliano Servilius Nonianus eodem, quo Domitius, exstinctus anno Dom. LIX.

2. Quint. Institut. Orator, lib. X, cap. 1.

3. Dialog. cap. 23.

ram daret Quintilianus, nondum ipse foro initiatus, adhuc nimirum discipulus, nondum patronus; adhuc eo discipulatus gradu, ut foro interesse liceret, quod non pueris, sed adolescentulis, concessum jam ostendimus. Et de illo sane loquitur Servilio Noniano auctor Dialogi, quasi nondum esset amplius in vivis, VI illo Vespasiani anno, quo Dialogus fuisse supponitur. Sic etiam ut Aufidio Basso postponat, pro temporis, ni fallor, quo sunt exstincti, ordine. Hunc ipsum Aufidium Bassum memorat Seneca [1], jam senio degravatum, quassum, ætati obluctantem, mortisque in confinio positum: talem nimirum illum, ut post illam mentionem diu superesse non potuerit. Hæc anno, ut videtur, proximo ante incendium Lugdunense Seneca [2]. Sequitur enim mentio veris alterius, ni fallor, anni. Tum illo anno, si temporis ordinem in epistolis disponendis observaverit, conflagratio illa sequitur urbis Lugdunensis [3], quam anno coloniæ tribuit centesimo. Deduxit coloniam illam L. Munatius Plancus anno urbis Varroniano 711 teste Dione. Ita arserit anno ejusdem epochæ 811 qui idem est æræ nostræ christianæ 58. Ita decesserit Aufidius anno epochæ christianæ 57. Recte ante Servilium Nonianum, qui, pro Taciti rationibus, eodem anno obiit, quo Domitius, Christi nimirum LIX. Ne dubitemus eumdem esse Servilium illum Nonianum ab auctore Dialogi memoratum cum Taciti Servilio.

VIII [4]. Conveniunt porro fines pueritiæ suæ a Quintiliano ipso designati, qua quidem nobis explorati sunt. « Nobis [5], inquit, pueris insignes pro Voluseno Catulo

1. Senec. ep. 30.
2. Senec. ep. 67.
3. Senec. ep. 91.
4. Conveniunt notæ pueritiæ ejus, qua quidem nobis apparent.
5. Quint. Inst. lib. X, cap. 1.

« Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii, orationes « ferebantur. » Nec sane potuit Crispi Passieni oratio aliqua in aliam aliquam, pro nostris rationibus ætatem Quintiliani, quam puerilem, incidere. Erat enim Crispus ille Passienus orator Agrippinæ conjux, et Neronis, postea imperatoris, proinde vitricus, fraude Agrippinæ conjugis occisus. Nupsit Agrippina Claudio patruo anno æræ Christianæ XLIX teste Tacito[1], ipsis kalendis januariis, ut nos docet Suetonius[2]. Imo anno superiori XLVIII de illo matrimonio actum discimus e Tacito. Nec enim antea quam sui matrimonii certa esset Agrippina, illud etiam a Claudio impetravit ut filia Claudii Octavia jam antea L. Silano desponsa Neroni suo uxor daretur. Inde Silanus a Vitellio censore prætura senatuque motus, atque abdicare coactus, quam quidem abdicationem IV kalendas januarias tribuit Suetonius. Hinc sane constat jam illo anno XLVIII mortuum fuisse Passienum, quem certe Claudio imperium adepto mortuum, tam e Seneca discimus quam etiam e Tacito et Suetonio. Passieni de Claudio dictum a Seneca[3] in testimonium adducitur: « Malo divi Augusti judicium, « malo Caudii beneficium. » Hoc certe ante Claudii imperium, quo penes Claudium beneficia erant, non potuit dicere Passienus. Scribit præterea ad illum de exsilio suo epigramma Seneca[4], exsul nimirum ipse sub Claudio opera Messalinæ. Dictum ejusdem de Caligula refert etiam Tacitus[5], « neque meliorem unquam servum, « neque deteriorem dominum fuisse. » Hoc etiam certe extincto Caligula, atque imperante Claudio. Suetonii

1. Tacit. Ann. lib. XII, c. 7.
2. Suet. Claud. cap. 29.
3. Senec. de Benef. lib. I, c. 15.
4. Epigr. VI ante cons. ad Helviam.
5. Tacit. Ann. lib. VI, cap. 20.

verba sunt in hanc sententiam disertissima. Sic enim ille de Nerone: « Verum Claudio[1] imperium adepto, « non solum paternas opes recuperavit, sed et Crispi « Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. » Male ergo mors ejus sub Caligula refertur in Chronico Eusebiano. Sed multa sunt istiusmodi in Chronico illo ab Hieronymo plerumque quoad res Romanas interpolato male disposita. Illud tamen certum, ante Claudii imperium, ne quidem potuisse Passieno nubere Agrippinam. Decessit maritus ejus prior Domitius Neronis imperatoris pater Nerone[2] ipso trimulo. Natus est Nero decemb. 15 anni quo obiit Tiberius, æræ christianæ XXXVII. Ita patrem amiserit anno ejusdem æræ XL. Tum a fratre Caio Agrippina, Jovem se fingente, cum aliis sororibus, vitiata est, tandemque relegata; nec antea, quam Claudius imperaret, reducta, bonisque restituta. Hoc sane intervallo nupsisse illam incredibile est, seu quum a fratre stupraretur (quod anno demum eodem quo mortuus fuerat maritus XL, factum constat e [3]Dione), seu quum ageret in exsilio. Itaque inter annum XLI et XLVIII necesse est contigisse illud Agrippinæ cum Passieno matrimonium. Ita potuerit Passienus, Quintiliano puero, utramque habere conjugem, tam scilicet primo Domitiam, quam postea Agrippinam. Idque sane fuisse videtur, Quintiliano ipso teste, verisimillimum. Sic enim ille de Junio Basso: « Nobis[4], inquit, pueris « Junius Bassus, homo imprimis dicax, Asinus albus « vocabatur. » Ita plane appellatus propter illam ipsam dicacitatem, ut ostendit Turnebus[5]. Illius dicam in Pas-

1. Suet. Neron. cap. 6.
2. Suet. Neron. ib.
3. Dio, lib. LIX.
4. Quint. Inst. lib. VI, cap. 3.
5. Turneb. Adversariorum, lib. XXVIII, cap. 35.

sieni Domitiam recenset, non multis interpositis, idem Quintilianus[1]. Ea si causa fuerit, cur ita cognominaretur Junius Bassus; sic in pueritiam Quintiliani convenerit Domitia quoque illa Passieni. Certe quum primum inclaresceret illo dicacitatis nomine Junius Bassus, tum novum nactus est Asini albi cognomentum. Id quoque, Quintiliano ipso, ut vidimus, teste certum est, in suam pueritiam incidisse Junii Bassi illam, scurrilitatis nomine, claritatem. Id denique certum est, provectiori Quintiliani ætati convenire minime potuisse jocum illum in Passieni priorem uxorem Domitiam, quum ne quidem ultra pueritiam illius pertigerit mors ipsa Passieni. Potuit ergo pueritia Quintiliani antiquior esse dica illa in Domitiam, non potuit esse serior. Sed nec multo esse potuit antiquior: vixit enim Bassus ille nupera, etiam quum Institutiones illas scriberet Quintilianus, memoria. Certe post Cassium Severum et Domitium Afrum, ne vetustiores fuisse suspicemur, quibus nupera illa memoria opponitur. Ita nec multo ante Quintiliani pueritiam, pro nostra chronologia dispositam, jocari illa potuit Bassus in Domitiam Passieni. Imo satis illa omnia commode conciliari invicem possunt pro nostris hypothesibus. Erat enim Quintilianus anno æræ christianæ XLVIII, quo Passienum obiisse suspicamur, ad minimum sexennis. Quo certe spatio uxorem utramque, tam Domitiam quam Agrippinam, habere potuit Passienus. Nec diu illum post nuptias Agrippinæ vixisse verisimile est. Filium enim illa Neronem in spem imperii, per fas et nefas, augendum censuit, quem etiam hereditate vitrici Passieni locupletatum testis est Suetonius. Heredem tamen ille non Neronem scripserat, sed ipsam

1. Quint. Inst. lib. VI, c. 3.

Agrippinam, si tamen nos vera doceat vetus Juvenalis Scholiastes [1]. Itaque et propter hereditatem (quam illi copiosam fuisse exinde constat, quod funere sit elatus publico) illi nupsit Agrippina, in filium transferendam; et propter illam ipsam hereditatem illum visa est e medio sustulisse: proinde prima quaque, ut videtur, sceleris occasione. Fieri potest, ut pacta fuerit, quum Passieno nuberet, de testamenti hereditate, pro eodem exemplo, quo Claudio nubens pacta est Neroni suo uxorem Octaviam; tum deinde illum sustulerit, ne mutaret testamentum. Moram illa quam brevissimam, si vera fuerint, exigebant; et ne falsa videantur suadent mores feminæ sceleratissimæ alioqui notissimi. Denique nec illud observatu indignum est quod ait: « Nobis « pueris insignes pro Voluseno Catulo orationes fere- « bantur. » Non ait auditas a se puero illas orationes, cui, per ætatem puerilem, ne quidem patuit in forum, ubi habebantur, aditus. Ne quidem lectas a se puero fuisse innuit; tantum ait, ferebantur, ut doceret, non quidem sibi, aut coævis pueris innotuisse, sed majoribus rei oratoriæ studiosis. Plane pueritiam designavit, qualem nostræ ferunt rationes, ita ab oratoribus in foro audiendis remotam, ut ne quidem legendis in schola par fuerit oratorum illustrium orationibus.

IX [2]. Sed vero post Domitium Afrum et Servilium Nonianum alios suos præceptores nullos memorat Quintilianus. Proinde merito est quod suspicemur, non diu postea ab illo scholas rhetorum fuisse frequentatas. Et quidem illa adolescentiæ ætate a studiis rhetorices ad usum se conferre solebant adolescentes, ab anno, ut

1. Scholiast. in Juvenal. sat. IV, vers. 81.

2. Galbam Quintilianus in provinciam Hispaniam comitatus est.

vidimus, ætatis circiter XIX labente scilicet, expleto autem XVIII, qui annus erat cohibendo intra togam brachio, post primam adolescentiam legitimus. Tunc enim prima lanugo, et prima, proprieque ita dicta, virilitas. Tunc prima illis a pueris, quos quatuor annis præcedebant, reverentia, ut par senectæ fuerit aliquatenus, Juvenale [1] teste, vel prima illa lanugo. Et quidem opportune accidit, ut ipso illo ætatis Quintiliani, pro nostris calculis, anno, secundo autem a morte Domitii, æræ nostræ christianæ LXI in Hispaniam mitteretur a Nerone Galba. Octennio enim provinciam illam tenuisse, testes habemus disertos [2] Suetonium et [3] Plutarchum. Rediit autem Romam Galba eo ipso anno, quo Nero interfectus est, LXVIII, sed exeunte. Ita incipere octennium illud anno alio non potuit quam illo, quem nos numeramus æræ nostræ receptæ LXI. Hoc ergo anno, quum in provinciam Hispaniam proficisceretur Galba, nostrum etiam comitem accepit, ni fallor, Quintilianum. Scio nullum esse, qui id diserte testetur, historicum: et tamen ita rem habuisse suspicor. Erat enim certe Galba Quintiliani patronus, ut exinde constat, quod reversus e provincia Quintilianum secum Romam duxerit, teste, ut videbimus, Hieronymo. Fuerat ergo in Hispania, quum Galba illi præesset, Quintilianus. Immo Hispanum illum, et quidem Calagurritanum, agnoscit Ausonius [4]. Ea ratio esse potuit cur primam artis oratoriæ professionem facere vellet in patria, et libenter illam Galbæ in provinciam ituri invitationem amplecteretur. Convenit præterea, uti dixi, ætas Quintiliani XIX an-

1. Juv. sat. XIII, v. 58, 59.
2. Suet. Galb. cap. 9.
3. Plutarch. Galb.
4. Confer Ausonium in Professoribus, et Hieronym. in Chronic. Eusebiano.

norum, eadem nimirum illa qua et L. Crassus olim, et hoc ipso seculo Plinius, Quintiliani discipulus, oratoriam auspicatus est. Nec sane aliud illo tempus habemus monimentis consignatum, quo in patriam concesserit, aut quo illa gesserit unde postea Calagurritanus fuerit appellandus. Puer certe atque adolescens Romæ fuit, ut ex his ipsis constat institutionibus. Et quum salarium e fisco acciperet, per viginti [1] annos continuos Romæ egit. Immo postquam sese illo docendi munere publico abdicasset, adhuc Romæ hæsit. Ibi [2] uxorem perdidit; ibi filium (quem deflet) utrumque. Ibi illum deprehendit Domitianus [3], quum nepotum studiis illum præficeret. Ibi institutiones hasce continuo biennio [4], et quod excurrebat, absolvit. Ibi secundas nuptias inivit, et novam de secundis illis nuptiis filiam sustulit, cui dotem auxit discipulus ejus Plinius [5]. Sic ille nullam ætatis partem in Hispania agere potuit, si hanc, in qua versamur, non egerit. Quid dico, ipse? immo ne majores quidem illius alibi, præterquam Romæ, legimus. Hic certe patrem suum [6] ipse memorat. Hic etiam avum ejus fortasse vidit audivitque M. Annæus [7] Seneca pater. Cur ergo Calagurritanus appellandus, si mora ejus in urbe patria Calagurritana nulla fuerit insignis? quæ tamen alia, quam hoc tempore, nulla insignis esse potuit. Potuit, fateor, a patria cognomen accipere, ut nunquam prorsus fuisset in patria. Sed fuit certe; fuitque hoc ipso, ut videtur, tempore, quo Galba provinciæ ejus patriæ præfectus est. Res sane ejus in hoc opere obiter memoratæ, diu illum Roma abfuisse indicant.

1. Inst. procem.
2. Inst. lib. VI, procem.
3. Inst. lib. IV, procem.
4. Ep. ad Tryphon. Bibliopol.
5. Plin. lib. VI, ep. 32.
6. Quint. Inst. lib. IX, cap. 3.
7. Senec. Præf. ad lib. V Controv. et alibi.

Res enim Romæ gestas a prima pueritiæ memoria repetit, et ab initio adolescentiæ: inde hiatus manifestus est. Nec enim proximæ ætatis res, hujus nimirum, quo illum abfuisse putamus, octennii ullas unquam advocat. Cur igitur dubitemus, qui illum ex Hispania Romam reduxit, eundem Roma illum in Hispaniam arcessivisse, amicum nempe studiorum ejus patronumque Galbam?

X[1]. Cæterum quo munere functus fuerit in patria noster Fabius, scholæ an fori, præceptorisne an advocati, id fateor esse mihi incompertum. Togæ tamen fuisse potius, quam sagi munus, exinde colligo, quod e datis in hoc munere sui experimentis, Galba illum Romæ, jam imperator, scholæ oratoriæ publicæ præfecerit, et salario publico e fisco solvendo instruxerit. Nec sane militaris erat Quintiliano indoles: nec ullum incumbebat militandi munus aut necessitas. Nec enim illi stirps erat senatoria, et ne jus quidem petendi honores senatorios, ut stipendia ad honores illos necessaria implere teneretur. Hoc ostendunt professio ejus publica, et salarium e fisco; et impares ejus honoribus senatoriis facultates a Plinio observatæ; et consularia ejus tandem ornamenta, non ipse consulatus, « honestamenta potius nominis, quam insignia potestatis », ut de eo observavit Ausonius[2]. Inde facile intelligimus, nunquam ab eo gestum fuisse consulatum, utpote natalibus debitum, sed ornamenta duntaxat consularia a principe impetrata, plane consulatibus posteriorum temporum codicillaribus affinia, ut et munera ei virorum consularium administrare liceret, et vestitu consularium lati-

1. Docuit, exercuitque, ut videtur, in Hispania, sub Galba præside, artem suam oratoriam Quint.

2. Auson. Paneg. ad Gratian.

clavio uteretur, et imaginem suam habitu consulari ad posteros transmitteret. Raræ autem admodum erant, his temporibus, militum conscriptiones, constitutis jam perpetuis præsidiorum limitumque legionibus. Itaque inviti admodum pauci, si qui fortasse ulli, ad militiam adigebantur. Nec emeritum habere ob oculos potuit, cui spes erat auctioris, honestiorisque e studiis suis lucri. Vigebant autem, non Romæ solum, verum etiam in provinciis, ut juris studia, sic etiam artis oratoriæ. Par enim erat usus oratoriæ et necessitas, in judiciis provincialibus atque in urbanis. Par etiam scholarum necessitas rhetoricarum, ut juventus artibus ad forum necessariis imbueretur. Immo studia illa in provinciis viguisse, in hac etiam ipsa provincia Hispania, ostendunt tot doctissimorum provincialium, etiam Hispanorum, illis quoque temporibus, exempla, Lucani, Senecarum, Martialis, aliorumque, præter nostrum, Quintilianorum. Immo utroque in loco, tam scilicet in foro quam etiam in schola, hanc artem Nostrum factitasse verisimillimum est. Erat, fateor, e veteribus Isocrates, qui docuit quidem, non item exercuit, hanc artem oratoriam. Sed vocem causabatur ille, quo minus exerceret, non separatum aliquod docendi exercendique munus. Erant præterea fortasse juniorum sophistarum nonnulli umbraticis illis declamandi, non item veris orandi controversiis insignes. Erant etiam qui animi magis causa declamarent, quam quod scholæ quidquam aut foro præpararent. Hoc erat in numero Juvenalis, teste vitæ ejus auctore anonymo. Sed rari admodum erant, illis præsertim, quibus vixit Quintilianus, temporibus, qui separatam a forensi usu profiterentur oratoriam. Habebant certe discipulos celeberrimi quique oratores, etiam se-

natores, etiam consulares. Habuit certe Cicero, habuit Domitius Afer, habuit Passienus, omnes ordinis amplissimi. Et quum scholæ præficeretur Quintilianus, non tamen proinde a causis abstinuit in foro perorandis. Immo illo ipso XX annorum spatio, quo scholæ præfuit, causas, quas Romæ egit, publicas egit omnes; nec antea scholam abdicavit, quam se a foro etiam excusasset. Immo a vero fori usu, tamque diutina tot annorum experientia, ipse sua institutionum[1] oratoriarum præcepta arcessit. Proinde innuit se fuisse interea in forensi usu versatissimum. Sic itaque illum, dum in Hispania esset, fecisse verisimillimum est; potuitque Galba, qui foro pariter atque exercitui Hispanico præsidebat, fori etiam designare advocatos. Sic habuit Cæsar in provincia sua jurisconsultum Trebatium, non minus fori legumque civilium proprium, quam fuerint advocati. Hæc certe ratio esse potuit, cur Galbam secutus fuerit in provinciam, præsertim patriam, Quintilianus; spectabantque ad Cæsarem[2], non autem ad populum romanum, provinciæ hispanicæ reliquæ, excepta Bætica, omnes. Certe illa, cui præfuit Galba, in qua erat Quintiliani patria ad Iberum fluvium sita Calagurris, Tarraconensis: inde factum, ut tot annis Galba illam obtinuerit: erant enim Cæsaris provinciæ, pro Cæsaris placito, plane arbitrariæ: præcipue post Tiberium, qui primus morem illum ceperat, quo pluribus annis iisdem præfectis eædem provinciæ credebantur. Rationem etiam, cur Tiberius ita fecerit, tradidit Josephus[3].

XI[4]. Itaque quum Galbam secutus videatur in pro-

1. Instit. lib. VI, c. 276, 277; lib. IX, c. 2.
2. Dio, lib. LIII.
3. Joseph. Ant. lib. XVIII, c. 8.
4. In Hispaniam profectus est Quintilianus, ann. ær. Ch. LXI ineunte, Romam reversus, ann. ejusdem æræ LXVIII exeunte.

vinciam Quintilianus, eundemque rursus e provincia redeuntem comitatus Romam venerit; hinc sane colligimus, e Galbæ in provinciam proficiscentis redeuntisque temporibus constituendum esse discessum nostri reditumque Quintiliani. Sed vero medio[1] Neronis principatu provinciam illam Galbæ oblatam testis est Suetonius. Hinc facile colligimus anni potius LXI initio, quam LX fine, in provinciam concessisse Galbam, et cum eo Quintilianum. Erat enim annus ille Neronis VII, cujus numerantur anni vulgo XIV, paucis nimirum anni XIV desideratis duntaxat mensibus. Et cœperat ille Neronis annus VII ab anni superioris LX idibus octobris: sic etiam VIII in provincia æstiva expleverit Galba. Tardum certe Galbæ iter Romam versus, audita scilicet Neronis cæde, testatur fuisse Tacitus[2]. Inde fieri vix potuit ut Romam ante anni LXVIII finem attigerit: et tamen ante LXIX initium attigisse necesse est. Consulatum certe Romæ secundum iniit, principio nimirum anni LXIX. Et Roma Vitellius in Germaniam profectus est, teste Suetonio[3]: non certe antea a Galba inde missus quam Romam Galba ipse appulisset. « Inferioris « Germaniæ legiones (postquam cessisset Virginius Ru« fus) diutius sine consulari fuisse, » docet [4]Tacitus. Inde, ni fallor, quod legatum Galba non antea mittendum censuisset quam Romam ipse veniret, quod melior futurus esset ibi, quasi in re præsenti, delectus. Atqui in Germaniam venerat superioris anni kalendis decembribus ipse[5] Vitellius. Itaque novembri saltem ineunte Romam Galba venerit oportet; et cum eo noster proinde Quintilianus.

1. Suet. Galb. c. 8.
2. Tacit. Hist. lib. II, c. 6.
3. Suet. Vitell. c. 7.
4. Tacit. Hist. lib. I, c. 9.
5. Conferatur Tacit. Historiarum in lib. I, c. 51.

XII[1]. Ait porro Quintilianus ipse se « studia[2] sua per « viginti annos erudiendis juvenibus impendisse. » Anni illi ab hoc proculdubio, in quo versamur, anno æræ christianæ LXVIII exeunte arcessendi erunt, desinentque adeo, anno ejusdem æræ receptæ LXXXVIII ipso quoque similiter exeunte. Et quidem idem Hieronymus, quo teste Galbam Quintiliano comite Romam venisse didicimus, Domitiano etiam imperante hæc habet verba non alio, quam ad vicennii hujus finem omnino referenda: « Quintilianus[3] ex Hispania Calagurritanus, « qui primus Romæ publicam scholam aperuit, et sa- « larium e fisco accepit, claruit. » Male Hieronymum intelligunt qui illo demum Domitiani anno scholam Romæ a Quintiliano apertam existimant. Non hoc voluit Hieronymus; non auctor ejus quicunque demum fuerit, Quintiliano ipsi coævus. Scripsit enim certe Institutiones[4] quas habemus, ut e multis constat earumdem locis, superstite adhuc Domitiano. Antea tamen quam manum illi operi admoveret, jam elapsos supponit viginti illos annos, quibus juventutem erudierit. Hinc certo constat exordium illorum annorum sub Domitiano non esse ponendum. Finem potius docendi designavit illis verbis auctor Hieronymi: respondetque numerus annorum ab illo, quod modo dixi, exordio ductus accuratissime. Septimis enim Domitiani coss. convenit annus Domini LXXXVIII: sic tamen ut a septembris die XIII, octavus Domitiani a morte Titi fratris annus fuerit numerandus: desinetque sane illa ipsa illius anni parte annus scholæ XX, debitumque fuerit XX ejus e

1. Inde arcessendi anni XX quibus scholæ publicæ Romæ præfuit Quintilianus.
2. Quint. Proœm. Inst.
3. Hieronym. in Ch. Eusebian.
4. Inst. lib. IV, pr. lib. X, c. 2.

publico stipendium, si ab anni LXVIII fine inchoetur. Et quidem anno Domitiani VII aut VIII notam illam apponunt editiones antiquissimæ pleræque, et codices etiam antiquissimi. Utrorumque rationes, cur ita disposuerint, e nostris illis colligi poterant, quas dedimus, hypothesibus. Erant autem longe pauciores, errorisque manifesti suspecti, quos observavit anno ejusdem V assignasse Pontacus.

XIII[1]. Ne autem temere hæc Hieronymum effudisse suspicemur, habuit certe ob oculos de Quintiliano auctorem Quintiliani æyo proximum Suetonium. Immo illum ipsum Suetonium in Chronico testem sese advocasse, in rebus præsertim romanis, quarum parcior fuerat Eusebius in Chronici Eusebiani a se latine traducti præfatione, ipse testatur Hieronymus. Scripsit enim sane Suetonius de claris rhetoribus librum: cujus hodieque fragmentum habemus, admodum mutilatum, ut e catalogo constat, quem præfixum repræsentant codices MSS. In illo aliorum quoque rhetorum nomina legimus, quorum vitas descripserit in illo opere Suetonius, quæ tamen olim perierint: et in illis Marcum etiam Fabium Quintilianum. Et quidem alios inde rhetoras, qui tamen nulli comparent in opere Suetoniano hodierno, excerpsit, et suo quemque loco, pro temporis ordine, disposuit Hieronymus. Cur itaque dubitemus, quin et Quintilianum suum similiter inde transtulerit? Nostrum vero illum fuisse, de quo scripsit Suetonius, Quintilianum, non patrem ejus aut avum e temporis illa, in qua illum exhibet catalogus, serie, facile colligimus. Præcedunt enim ibi L. Statius Ursulus, P. Claudius Quirinalis, M. Antonius Liberalis, Sex. Julius Gabinianus; quos

1. Hæc Hieronymus, ut videtur, auctore Suetonio.

Claudii, et Neronis, et Vespasiani etiam, temporibus apposuit Hieronymus. Solus illum sequitur Julius Tito; sed Titonem nullum, opinor, legimus in cognominibus romanis; sæpius Tironem; estque fortasse Julius ille Tiro cujus codicillos memorat sub Trajano [1] Plinius. Hoc si verum, Julius ille Tiro jam nuper, quum scriberet Plinius, defunctus, Quintiliani in schola rhetorica, successor esse potuit. Sic alius a nostro Quintiliano esse non potuit, qui fuerit loco illi, pro temporis ordine, quem secutus est in vitis illis disponendis Suetonius, inserendus. Sed desunt, fateor, notæ illæ temporum in Suetonio hodierno, etiam in vitis illis quas cum Suetonio hodierno communes habuit Hieronymus. Nullum in illo legimus imperatoris annum, quo ipsi illi qui supersunt hodieque rhetores, floruerint. Inde suspicio est pleniorem fuisse in vitis illis Suetonium, quem adhibuit Hieronymus, quam sit ille quem hodie habemus. Sed ut temere illos certis imperatorum annis assignarit Hieronymus, ut multa alia ab Eutropio accepta annis ille assignarit, quorum tamen annos certos nullos designaverat Eutropius; hic certe ratio nulla est cur scholæ Quintilianæ initium seu prætermiserit Suetonius, seu temere adeo, nec ullo præeunte auctore, designarit Hieronymus. Erat enim epocha illa constitutæ scholæ publicæ insignis admodum, et Galbæ procul dubio rescripto munita, non magis a Suetonio prætermittenda, quam fuerit senatusconsultum de rhetoribus olim ab urbe pellendis, cujus tamen verba censuit conservanda Suetonius [2]. In Galbæ autem rescripto Coss. fuisse verisimillimum est, et mensem mensisque diem, et salarium e fisco solvendum. Ita nihil deerat, quo cœpti stipendii tempus

1. Plin. lib. VI, ep. 31. 2. Suet. de clar. Rhet. c. 1.

fieret exploratissimum. Inde initium erat professorum publicorum sibi invicem contendentium in arte rhetorica. Inde ad alias quoque disciplinas liberales majores fuit exemplum. Erant enim postea grammaticæ, medicinæ, philosophiæ, etc. professores publici publicis e fisco salariis alendi. Inde annus erat certus, quo claruisse dici possent rhetores: is ipse nimirum quo ad professionem illam publicam fuissent admissi. Per annos etiam imperatorum designandus erat, a quibus erant salarium accepturi. Ita initium Quintiliani consignare Suetonium oportebat tot nominibus insigne. Et finem quoque professionis non debuit certe tacere Suetonius, ipsum etiam multis nominibus insignem. Inprimis, quod nec pulsus, nec morte sublatus, sed honesta plane missione a principe impetrata, scholam abdicarit: tum deinde quod post vigesimum hoc fecerit stipendium. Utrumque pro exemplo disciplinæ militaris qua missiones erant, post certum stipendiorum numerum, ab imperatoribus impetrandæ. Et sane officia illa Palatina omnia, tam inermia nimirum illa quam etiam armata, pro militiis habebantur, et disciplinæ proinde militari erant obnoxia. Etiam in legem transiit primum hoc Quintiliani, post stipendium vigesimum, missione honesta donati exemplum. Sic enim postea in Roma nova, urbe nimirum Constantinopolitana, senioris Romæ plerumque ad exempla formatæ, legitima illa constituebantur professionum publicarum stipendia. « Grammaticos (inquiunt « principes [1]) tam græcos quam latinos, sophistas, et « jurisperitos in hac regia urbe professionem suam exer- « centes, et inter statutos numeratos etc. quum ad viginti « annos observatione jugi ac sedulo docendi labore per-

1. Cod. lib. XII, tit. 15.

« venerint : placuit honorari, et his qui sunt ex vicaria « dignitate connumerari. » Sic illi præcipiunt anno æræ nostræ CDXXV, quum jam olim inolevisset mos veteranos etiam milites, emerito honestaque missione, post vigesima stipendia decorandi. Hoc certe constituerat Caracalla [1] anno ejusdem æræ CCXIV. Immo jam olim, ante Caracallam, legionibus in Germania tumultuantibus hoc idem concesserat Tiberius [2]. Scio aliter fuisse sub Augusto : hoc tamen Tiberii exemplum alios deinde principes, sub quibus floruit Quintilianus, imitatos fuisse verisimile est, non pariter ac fuerit Tiberius, avaros. Hoc ergo militum exemplo missionem honestam impetravit, post vigesima stipendia, Quintilianus. Exemplo Quintiliani impetravere alii, post Quintilianum deinde rhetores. Ita nec initium Quintiliani in schola publica, nec finem silere debuit Suetonius : nec potuit, Suetonio hic præeunte, errare Hieronymus. Denique nec illud observatu indignum est, ut anno certo, ita medio Domitiani imperio, hæc attribuere Hieronymum ; non autem ad primum ejus annum ultimumve referre, quo temporis incerti gesta, nec certo etiam auctorum testimonio nitentia, plerumque referre solet.

XIV [3]. Verbum certe illud Eusebiani Chronici CLARUIT, quum certo anno affigitur, ad rem gestam aliquam insignem, quæ quasi vitæ quædam epocha habenda fuerit, referendum est. Nec est sane alia vitæ hujus, in qua versamur epocha, quæ huic anno aptius respondeat, quam hæc ipsa abdicatæ a Quintiliano scholæ rhetoricæ. Jam plane ostendimus, Domitiano imperante, finem

1. Cod. lib. V, tit. 65.
2. Tacit. Ann. I, c. 36.
3. Docuit certe Quintilianus multis sub Domitiano annis, abdicavitque multis annis ante ejusdem finem.

fuisse illius, quo scholæ præfuit, vicennii. Quod tamen ita intelligendum est, ut nec in finem imperii illius nec in exordium, scholæ finis inciderit. Multis deinde annis Domitianum imperasse vel e notis illis colligitur, quæ in his ipsis Quintiliani Institutionibus apparent, uti mox videbimus. Postea scripsit Noster de causis corruptæ eloquentiæ, exsuto nimirum docendi munere sese ad scribendum accingens. Tum filio minore orbatus est, a cujus morte ad fratris majoris excessum plusquam triennii spatium intercessit. Hæc Quintilianus libro VI exeunte anno operis primo. Paulo antea quam IV librum scriberet, sororis nepotum studiis a Domitiano præfectus est. Etiam postea Domitianum laudat a studio poetices lib. X florentem scilicet vigentemque : hæc ille suscepti operis anno secundo ab exsuto scholæ officio quarto vel quinto potius ineunte. Nondum tamen vel philosophos urbe prohibuerat Domitianus. Quæ sane docent, anno ante pulsos philosophos ad minimum quinto, abdicasse Quintilianum; totidemque adeo annis ante annum Domini XCIV, cui conveniebat exsilium illud, pro nostris rationibus [1]. Hæc sane multis ante Domitiani finem annis abdicatam a Quintiliano scholam ostendunt: initio tamen imperii illius nondum abdicaverat. Hoc certe docet Martialis, cujus illa sunt ad Quintilianum verba [2]

> Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
> Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ.

Quum moderatorem juventæ eum appellat, scholæ rhetoricæ præfectum illum fuisse supponit, cujus discipulos juvenes fuisse jam probavimus. Quum togæ illum

1. Ann. Plinian.

2. Mart. lib. II, ep. 90.

Romanæ gloriam agnoscit, simul in foro gloriam ejus ostendit, in quo togati causas agebant oratores, qui tamen uno eodemque tempore utrumque tam docendi quam etiam orandi munus abdicavit, uti vidimus; simul etiam claritatem ejusdem innuit, quam huic tamen, quo scholæ præfuit, tempori tribuit Hieronymus. Et sane illum jam illo ipso tempore scholæ moderatorem, et togæ romanæ gloriam fuisse supponit, quo hæc scribebat ipse Martialis, quod sane fecit imperante Domitiano. Bis enim illum compellat hoc eodem Epigrammatum libro Ep. 2 et 91. Ita scilicet, ut eum priori loco Germanici titulo ornatum doceat, et laurea de victis Cattis. Germanicum Domitianum Cos. VII ipso nimirum cujus idib. septembribus decesserat frater Titus, anni fine appellant nummi. Immo «omnes suos libellos, quibus Domitianus famam, id est, vitam dederat, Domitiano proinde supplicasse» agnoscit ipse Martialis[1]. Inde illud saltem colligimus, edendorum saltem epigrammatum consilium nullum fuisse ante imperium Domitiani. Ita ante anni LXXXII finem librum illum edere non potuit Martialis. Potuit postea, quum epigrammata jam olim scripta in libros postea edendos collegerit Martialis, quod multis ostendi posset, si opus esset, exemplis. Inde fateor esse difficillimum epigrammatum singulorum tempora e libri, in quo continentur, editi tempore colligere. Rara tamen apud Martialem epigrammata occurrunt Domitiani hisce, in quibus jam versamur, temporibus antiquiora. Scripsit ille pauca sub Tito. Sunt etiam aliqua in libro de Spectaculis seculi fortasse Neroniani, quæ proinde eruditi[2] suspecta habent, ne sint fortasse Martialis. Non tamen obstat,

1. Præf. lib. VIII, Epigr. 2. P. Scriverius.

ut existimant, illius ætas, quum egerit Martialis, quo anno Nero interfectus est, annum ætatis, pro nostris rationibus, ad minimum XXVI; puerum enim se juvenemque nonnulla scripsisse testatur ipse [1] Martialis: sed quæ haud equidem ipse jam nosset, quæque a Quinto Pollio Valeriano petenda lectorem monet. Inde facile colligimus locum illis nullum fuisse in hac epigrammatum, quæ exstat hodierna collectione. Id potius obstat fortasse quod ea fere omnia quorum tempus exploratum habemus intra Domitiani imperium contineantur; et rara admodum, si qua fortasse ulla, antiquiora sint. Inde enim colligitur, Tito vel Domitiano imperante, animum ad scribendum applicuisse Martialem. Nec enim animi gratia scripsit ille, sed patronorum; quum scilicet spes lucri ab illis studiis appareret, quæ erat certe sub his tandem principibus amplissima. « Erat enim Titus ipse latine græceque, vel in orando, « vel in fingendis poematibus promptus, et facilis ad ex« temporalitatem usque, » teste Suetonio [2]. Et Domitianum ab iisdem studiis commendant, non [3] Suetonius modo, sed Plinius major [4], sed Quintilianus [5] noster, sed Tacitus [6], sed Silius Italicus [7], Valerius Flaccus [8], atque etiam ipse Martialis [9]. Idque testatum faciunt tot ab eo instituti ludi in honorem Jovis Capitolini, et suæ item Minervæ, ingeniorum præsertim certaminibus illustrandi. Fecit itaque spes illa poetam Martialem, quæ et corvos poetas fecit et poetrias picas, magister artis ingeniique largitor venter. Hoc certe primum tempore col-

1. Mart. lib. I, ep. 113.
2. Suet. Tit. c. 3.
3. Suet. Dom. c. 2, 20.
4. Plin. Præf. Nat. Hist.
5. Quint. Inst. lib. X, c. 1.
6. Tacit. Hist. IV, 86.
7. Silius Italicus Bell. Punic. secund. lib. III.
8. Valer. Flacc. Arg. lib. I.
9. Mart. lib. VIII, ep. 82.

legit epigrammata, ediditque, Martialis. Hoc exinde constat quod Domitiano tot epigrammata, etiam in primis libris, inscripserit: et tamen primis Domitiani annis illa conveniebant: sic quidem ut non longe abesse potuerint ab illo ipso anno æræ nostræ LXXXVIII, quo scholam Quintilianus abdicavit. Jam ante alibi ostendimus[1] cum IV Statianarum Sylvarum libro concurrisse librum Martialis IX: cum anno nimirum æræ nostræ XCV, quo consulatum XVII inivit Domitianus. Illo autem libro, epig. 86, ita ad Norbanum scribit Martialis:

> Omne tibi nostrum quod bis trieteride juncta
> Ante dabat lector, nunc dabit auctor, opus.

Numerat nimirum sex annos ab eo usque tempore quo libros suos miserat ad Norbanum, pro more illorum temporum, a servo aliquo vel liberto anagnosta, seu lectore, post cibum legendos. Tempus autem illud ita designat:

> Quum tua sacrilegos contra, Norbane, furores,
> Staret pro domino Cæsare sancta fides.

Intelligit, ni fallor, defectionem Antonii Saturnini, oppressi a Maximo illo Norbano. Addit et notam temporis aliam:

> Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris,
> Nescia nec nostri nominis Arctos erat.

Sed legendum, ut puto, pro *raptum*, potius *jam tum*, quam quod alii illius loco reponunt viri sane eruditissimi. Intelligit ergo tempus illud, non quo primam epigrammatibus colligendis edendisque, nedum scribendis manum admoverit; sed quo ex editis adeo jam incla-

1. Præl. IV ad Sp. Adr. §. 3.

ruerat, ut non Romæ duntaxat, sed castris etiam Germanicis nomen ejus jam esset celeberrimum. Ambæ autem illæ notæ in quarti quintive libri editionem conveniunt, vel etiam fortasse tertii. Quarti enim certe libri epigr. 11, in illum ipsum Antonium invehitur: utque hoc in loco Arcti, sic ibi Ursæ et Rheni nomine, cujus aquas proinde appellat Arctoas, locum belli designat. Quum autem libri V epigr. 13, adeo non esset in Arcto ignotus Martialis, ut jam toto orbe frequens legeretur; inde colligimus post primorum librorum vel trium vel duorum editionem illa fuisse Norbani in Antonium gesta. Scripsit enim in eumdem Antonium lib. III, ep. 66. Ea tamen, si consulatum Domitiani XVII sexennio integro præcesserint, anno ad minimum Domini LXXXIX gesta fuerint necesse est. Proinde lib. II, ep. 90, in quo de Quintiliano agitur, certe ante anni LXXXVIII finem scripserit edideritque. Si quidem singulis annis singulos ediderit libros, ita anno LXXXVII, liber ille secundus conveniet. Et sane rarum fuisse, si anno integro librum non emitteret, alibi Martialis[1] ipse nos docet. Ita inter initium Domitiani, quum animum serio rei poeticæ daret Martialis, annumque Domini LXXXVII de Quintiliano illa scripserit Martialis. Præerat itaque hoc tempore scholæ Quintilianus: et quidem maxima peritiæ fama in arte oratoria.

XV[2]. Sed vero etiam ante Domitiani imperium e Plinii nostri temporibus, certum est docuisse Quintilianum. Frequentabat ille Quintilianum[3], præceptoremque illum agnoscit, et quidem quum eadem Plinius ætate esset, qua Quintilianum ipsum fuisse probavimus, quum

1. Martial. lib. X, ep. 70.
2. Docuit etiam sub Tito, et sub finem saltem Vespasiani imperii.
3. Plin. lib II, ep. 14.

ipse Domitium Afrum frequentaret[1], adolescentuli. Hac enim ipsa voce usus est in hac eadem causa ipse Plinius. Certum est hanc Plinii adolescentuli ætatem minorem fuisse anno ejusdem XIX, quo primam causam egit in foro, perfunctus nimirum scholæ rhetoricæ disciplina. Etiam anno, quo periit avunculus, Domini nimirum LXXIX, Titi II, august. die 24 non Romæ erat, sed Miseni, ubi classem curabat avunculus. Ibi nullæ rhetorum scholæ, aut forum etiam in quo oratores essent audiendi. Inde colligimus, ut alii annos illos, quos primæ illi adolescentuli ætati assignavimus, in disciplina scholæ forique excessissent, vix tamen fieri posse ut Plinius excesserit. Atqui anni illi adolescentiæ Plinianæ ab anno LXXV, et post diem mensis augusti XXIV incipiunt, et ad annum LXXVIII saltem exeuntem pertingunt. Hoc ergo intervallo in scholæ illa præfectura necesse est fuisse Quintilianum. Loquitur etiam de Quintiliani schola[2] pariter atque mercede [3]Juvenalis. Sic tamen ille in satiræ illa farragine[4] tempora confundit, dum a primis Cæsarum initiis ad sua usque tempora vitia perstringat, ut temporis quo res gestæ fuerint notam nullam ex eo liceat elicere.

XVI[5]. Cæterum cum schola usum præterea artis suæ in foro abdicavit etiam Quintilianus. Hoc nos docet ipse illis verbis: « [6]Nos quando et præcipiendi mu-« nus etiam pridem deprecati sumus, et in foro quoque « dicendi, quia honestissimum finem putabamus, desi-« nere, dum desideraremur; inquirendo scribendoque

1. Plin. lib. VI, ep. 6.
2. Juv. Sat. VI, v. 279.
3. Juv. Sat. VII, v. 186, 187.
4. Juv. Sat. I, v. 86.
5. Cum docendi munere munus etiam orandi deposuit, missus a Domitiano honeste post XX ejus in munere stipendium.
6. Quintilian. Institut. Orator. lib. II, c. 12 fin.

« talia, consolemur otium nostrum, quæ futura usui « bonæ mentis juvenibus arbitremur, nobis certe sunt « voluptati. » Hinc sane constat utrumque munus illum, non nisi principis, a quo salarium acceperat, venia impetrata, deposuisse. Discimus etiam, cur deposuerit, rationem : quod scilicet honestissimum muneris finem illum putaret, desinere, dum desideraretur. Habuit nimirum ob oculos sui olim præceptoris exemplum Domitii Afri, cui vitio datum observaverat, quod [1] deficere mallet quam desinere. Quod scilicet deficientis præ senio ingenii rationem nullam habuisset; hinc ille occasionem aucupatus est, salva jam et matura fama, otium petendi. Annum tunc agebat, pro rationibus nostris, ætatis duntaxat XLVI, XLVII fortasse in anni, quo desiit XX ejus stipendium, fine jam inchoato. Ut proinde principis fortasse potius, sub quo causas fuerit acturus, quam ætatis rationem habuerit. « Inquietam « certe anxiamque oratorum vitam, licet illos certamina « et pericula sua ad consulatus evexissent, » causatur Maternus [2], cur se ab oratoria ad poeticen receperit, qui sub mitiore vixit oravitque principe quam fuerit Domitianus. Potuit tamen Noster vel ætatis causam, pro illorum, quibus vixit, temporum opinionibus, obtendere satis verisimilem. Finis enim militiæ veteris, pro censu Servii Tullii, in anno erat ætatis XLV. Et gregariæ militiæ finem, in anno saltem L pro declamantium legibus agnoscit ipse Quintilianus [3]. Ita nimirum, si quis tirocinium paulo serius inchoasset, ut scilicet stipendiorum numerus legitimus ante illum ætatis annum exire non potuerit. Aliter missionem honestam dabant, etiam,

1. Quint. Inst. lib. XII, c. 11.
2. Ap. Dialog. de Orator. c. 13.
3. Quintilian. Institut. Orator. lib. IX, c. 2.

ante annum ætatis vel XLV expleta stipendia. Ita disputat Spurius Ligustinus insigni ejus illa apud [1]Livium oratione : « viginti duo stipendia annua in exercitu » emerita, inquit, habeo, et major annis sum quin- « quaginta. » Utroque se nomine a militia excusandum ostendit, tam quod stipendia legitima, quam quod ætatem militiæ legitimam, superaverat. Stipendiorum autem numerum, etiam in gregali militia, vix majorem legimus eo quem in illo docendi orandique munere exegerit Quintilianus. Nec absurde stipendiorum numerum inde arcessitum jam ostendimus, unde primum fluxit stipendiorum exemplum, a re nempe militari. Ita suppetebant Quintiliano, pro nostris rationibus, ætas, justique satis, in speciem, colores, ad petendam muneris vacationem.

XVII[2]. His ergo limitibus concludi necesse est Quintiliani omnes, quas in foro habuit, orationes. Illam imprimis, quam etiam emisit ipse solam, de causa [3]Nævii Apruniani, in qua quæsitum dicit, « præcipitatane esset « ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset. » Coram prætore de paricidio causam illam actam, vix est quod dubitemus. Quis ille fuerit Nævius Aprunianus, me fateor ignorare. Facile tamen inducor, ut credam sub initium Vespasiani causam illam egisse Quintilianum : se enim fatetur « juvenili cupiditate gloriæ causam illam emi- « sisse. » Proinde juvenis fuerit oportet quum emitteret : minor certe anno ætatis XXXV, qui supremus erat juventutis limes, concurrebatque cum anno æræ christianæ LXXVII pro nostris saltem hypothesibus. Post

1. Titus Livius Histor. Roman. lib. XLII, c. 34.

2. Causa Nævii Apruniani ab eo acta anno fortasse LXX jam adhuc certe juvene.

3. Quint. Inst. lib. II.

finem rursus anni LXVIII quo Quintiliani reditum disposuimus : vix porro anno LXIX tumultuosissimo nec causis agendis, nedum in lucem dandis, consentaneo : proinde sub initium, ut videtur Vespasiani, sedataque republica, anno fortasse LXX, vel paulo postea, quum celebritatem nominis de arte oratoria esset in foro consecutus. Tum enim maxime juvenili illa gloriæ cupiditate illum arsisse verisimile est. « Cæteras dicit, « quæ sub nomine ejus ferebantur, actiones negligentia « excipientium in quæstum notariorum corruptas, mini- « mam sui partem habuisse. » Nempe in usum adolescentum, quos foro interfuisse jam ostendimus, illas exceperant notarii, nec aliunde quæstus illius spes quam ab illis adolescentibus.

XVIII [1]. His etiam iisdem limitibus pro [2] regina Berenice egit apud eam ipsam : sic enim ipse de hac causa loquitur. Ipsum Romæ vel scholæ munus ab eo susceptum detinuit : ut proinde nec alibi, præterquam Romæ, regina Berenice esse potuerit. Venit illa Romam cum Agrippa fratre post VI Vespasiani Titique IV consulatum, ut nos docent fragmenta Dionis Xiphiliniana. Erant illi in consulatibus illis collegæ anno æræ nostræ LXXV. Ibi aliquantisper cum Tito in palatio versata est, ea nimirum spe fore ut Tito nuberet : uxorem certe illam Titi appellat Victor epitomator. Et quum populo romano ingratum id sensisset Titus, Dio etiam dicit illam fuisse a Tito [3] repudiatam, uxorem nimirum, si non posset ab eo, nisi per repudium, separari. Sed nuptias tantummodo promissas agnoscit [4] Suetonius.

1. Pro regina Berenice apud ipsam egit anno LXXVI fortasse, vel sequenti.
2. Quint. lib. IV Inst. c. 1.
3. Dio, lib. LXVI.
4. Suet. Tit. c. 7.

Urbe tamen, seu repudiatam, seu rejectam, discessisse innuit Dio, dum Romam dicit sub initium Titi eam fuisse reversam: sic tamen ut Titi in eam jam reversam laudet continentiam. Immo rursus illam discedere coegit: sunt enim illa verba Suetonii[1]: « Statim, inquit, ab «urbe dimisit invitus invitam. » Vox illa statim tam ad initium Titi, quam ad reditum illum Berenices referenda est, ne parvam ejus in secundo hoc adventu moram fuisse dubitemus. Certe de initio imperii intelligenda esse confirmat Victor epitomator: sic enim ille: « Denique, «ut subiit pondus regium, Berenicen nuptias suas spe«rantem regredi domum præcepit. » Hæc Titus anno quo patri successit æræ nostræ LXXIX. Sic inter annum LXXV et LXXIX orationem illam oportet habuisse Quintilianum: sic item ut anno LXXIX habere non potuerit propter brevem illius in urbe moram: sed nec anno LXXV quo primo in Urbem appulit, si tamen vere illo consulatu, et non postea potius, appulerit. Omisit enim deinceps Xiphilinus consulatus ad finem Vespasiani. Serior enim erat illius in urbem adventus quam ut eo anno lites ab ea susceptas fuisse verisimile sit. Omnino ad tempus illud Nostri illa spectabat oratio, quo Berenice ita apud Titum, ac si ejus fuisset uxor, omnia gerebat: sic enim Dio. Proinde antea illam dixit quam prima vice regina a Tito repudiaretur: ita anno vel LXXVI vel LXXVII vel LXXVIII. Immo certe si in Palæstinam discesserit, anno LXXVI vel sequenti. Nec enim alioqui temporis spatium illi fuisset in urbem Titi initio revertendi. Nec diu illam tulisse videtur Titus, quum illam populo sensisset ingratam. Nec diu etiam distulit fortasse populus sententiæ suæ significationem,

1. Suet. ib.

toties nimirum in theatro, ubi licentissime omnia, etiam principe præsente, agebat. Hinc etiam annorum quibus in foro egit et in schola Noster, notas habemus cum nostris illis, quas modo dedimus, rationibus consentientissimas.

XIX[1]. Progredior jam ad tempus quo hasce, quas habemus, artis oratoriæ institutiones Noster absolverit, pro virili nostra, eruendum: id quod sane fateor esse difficillimum. Nec tamen alia Quintiliani tempora recte constitui poterunt, nisi illud eruatur. Itaque quo accuratius illud indagemus, erunt certe imprimis constituendi limites, extra quos ne quæri quidem oporteat. Ait ergo Quintilianus paulo se plus quam biennium huic operi impendisse. Hoc verbis ipse disertissimis agnoscit in epistola ad Tryphonem bibliopolam. Hinc facile colligimus, ante anni CXI saltem initium, ne quidem absolvi, nedum edi, potuisse. Esto enim; mox a deposito munere, sese ad opus hoc, in quo versamur, accinxerit; sic tamen biennium a fine anni LXXXVIII deductum in fine anni XC finem accipiet: ita nimirum, ut quod supererat in annum sequentem inciderit. Atqui illud etiam certum, nec mox illum a deposito munere hoc opus incœpisse, nec absolutum mox in lucem emisisse. Dicit se diu[2] amicis hoc petentibus fuisse reluctatum. Agnoscit pridem se munus suum fuisse deprecatum: idque quum non magnos fecisset in hoc opere progressus, libro nimirum illius secundo[3]. Scriptum a se alium de causis corruptæ eloquentiæ librum docet ipse, quum minor natu filius decederet. Sic autem lo-

1. Institutiones scripsit Noster post aliquot annos a munere abdicato.
2. Procem.
3. Lib. II, c. 12.
4. Lib. VI, procem.

quitur quasi non magno admodum interposito spatio dolores uxor cum duobus filiis amissa renovasset. Horum autem ultimus paulo antea defunctus est quam VI aggrederetur Institutionum librum: otiumque, ni fallor, arguit, veniamque muneris impetratam, quum illum quoque priorem librum ederet. Tantum enim aberat a libris edendis positus in munere Quintilianus, ut ne quidem causas[1] una plures a se editas, ut vidimus, agnoscat. Ediderant præterea juvenes scholæ auditores duos[2] ejus nomine, de hac eadem arte oratoria, ipso tamen inconsulto, libros. Certe post scholæ vacationem, quum nulla jam superesset spes ipsum ulterius audiendi: tunc enim dictata in schola accepta concinnarunt, edideruntque: antea tamen quam vel primam hisce, quas habemus, Institutionibus manum admovisset, ut e procemio operis universi colligitur. Spatium ergo aliquod intercesserit oportet, quod tamen admodum magnum esse non potuit. Adhuc enim scholæ suæ auditores juvenes[3], et suos[4] adolescentes, non semel appellat: ætatemque illam juventutis nomine, ut videtur, intelligit, quæ studiis, pro illius seculi more, impendi solebat, oratoriis: a pueritia ad primam saltem barbam. Ita juvenes qui anno XVII minores ipsum audiverant, ne quidem adhuc barbam primam posuisse verisimile est. Sic infra quadriennium scripserit a munere abdicato.

XX[5]. Illud præterea e Quintiliano ipso exploratum habemus, non mox editos fuisse Institutionum libros, postquam fuissent ad finem usque perducti. Se enim fatetur,

1. Lib. VII, Inst. c. 2.
2. Procem.
3. Procem.
4. Lib. VII, c. 3.
5. Nec tamen, quum scripsisset, statim edidit.

postquam illos composuisset, « usum deinde Horatii « consilio, qui in arte, inquit, poetica suadet ne præ- « cipitetur editio, nonumque prematur in annum. » Proinde datum illis « otium, ut, refrigerato inventionis « amore, diligentius repetitos tanquam lector perpen- « deret. » Inde facile colligimus jam absolutos fuisse tamen aliquantisper, dedita etiam opera, suppressos, quum ipse illos nondum opinaretur satis maturuisse. Sed citius quam decreverat, flagitante bibliopola, illos emisit. Proinde ante annum, pro Horatii, (cujus usus est consilio) mente, nonum, sed unum saltem annum fluxisse innuit, ex quo editionem flagitaverat bibliopola, quum illum ipsum testem advocat paulo majori quam biennii spatio compositionem operis fuisse consummatam. Vix sane fuerat ita locuturus nisi plusquam triennis fuisset exspectatio. Immo nihil vetat quo minus fuerit etiam quadriennis. Ita unus ad minimum annus fluxerit ab operis fine ad ejusdem editionem, quum etiam annis et suam fuerit scriptionem emensus et lectoris etiam exspectationem.

XXI [1]. Et tamen infra Domitiani imperium concludi omnia videntur, operis initium, finis, etiam editio. Domitiano sæpe adulatur: nec in operis initio duntaxat, verum etiam longius provectus. Nec unquam innuit meliora tempora, ne quidem in epistola quam scripsit ultimam ad Tryphonem bibliopolam. Vix tamen habemus illorum temporum scriptorem, quin temporum mutationem, prima quaque occasione data, fuerit gratulatus. Gratulatur certe Martialis [2], gratulatur Plinius [3] junior: et pleni sunt in hanc sententiam coævi numi. Itaque

1. Scripsit illas anno, ut videtur, XCII et XCIII.

2. Mart. lib. X, ep. 6, 7, 34, 72.

3. Plin. lib. I, epist. 5, 12.

ediderit oportet Quintilianus Institutiones suas vel ultimo Domitiani anno, vel penultimo, æræ nimirum nostræ christianæ XCVI vel XCV. Sic etiam absolverit anno XCV vel XCIV, inceperit autem vel anno XCIII vel XCII. His certe limitibus concludi omnia oportet. Ego prioribus potius annis omnia contigisse censeo. Abdicavit, ut vidimus, anno LXXXVIII exeunte. Tum deinde otium nactus ad scribendum se accinxit, ita antea a scribendo officii molestiis impeditus, ut ne quidem actionem plusquam unicam ediderit. Alia autem scribere vix potuit vacare, cui nequidem actiones officio cognatissimas scribere vacavit. Immo hanc ipsam muneris abdicationem, otiumque inde consecutum, pro ratione habet Quintilianus[1] cur amici illum ad scribendas artis oratoriæ Institutiones hortarentur. Proinde innuit, ni officio cessisset, nullum alioqui futurum locum illis eorum hortationibus. Proinde de causis corruptæ eloquentiæ, nisi munere exsutus, vix potuit scribere Quintilianus, et muneris datis pariter acceptisque rationibus. Sic otium nullum plenum esse potuit ante initium anni LXXXIX. Ergo illo ipso anno ineunte hoc opus inchoatum ab eo fuisse supponamus. Quum hoc scribere aggressus esset, simili se, quo postea, ictu percussum testatur Quintilianus[2], morte nimirum minoris natu filii. Quum se scribere aggressum dicit, jam cœptum opus atque aliquatenus affectum una significat. Ad eundem, ut videtur, modum quo, quinque prioribus Institutionum libris ad finem perductis, majorem etiam filium amisit. Ita affecto opere, et proinde affecto etiam anno LXXXIX filius ille minor decesserit. Sed vero quintum egressus erat, quum moreretur, annum, post paucos a

1. Procem. 2. Lib. VI, procem.

matris obitu menses elatus, quæ etiam ipsa nondum ætatis suæ annum undevicesimum expleverat. Proinde concurrerit cum matris anno XIV hujus filii natalis, ut paucos illos menses matris anno XIX supplendo concedamus, quibus matri filius supererat. Erant enim illi plane necessarii tam ad supplendum filii annum quintum, quam ad excessum etiam illum, quo annum ætatis V fuerat egressus. Sic XIII matris anno exeunte natus fuerit filius etiam major, qui certe antea nasci non potuit, quum ante annum ætatis XII expletum ne quidem nuptiæ fœminarum, apud Romanos, fuerint legitimæ. Atqui filius ille major, qui erat, quum decederet mater, pro his rationibus, etiam ipse sexennis, decimum annum ingressus est, jam adoptatus a patre aliquo consulari, jam prætori avunculo, patris fortasse consularis fratri, gener designatus. Tres igitur a matris morte anni anno æræ nostræ XCII ineunte desinent. Pars autem illa, qua decimum annum ingressus est, ad annum eundem XCII spectabit, jam utique affectum: ut proinde anno ad minimum XCII affecto puerum illum obiisse necesse sit. Jam autem librum operis designati V absolverat Quintilianus, annum nimirum biennii et illius quod excurrebat saltem primum. Et primum adeo hujus operis annum designabit æræ nostræ, quem diximus, XCII: secundus ergo XCIII erit. Et quod deinde supra biennium superest, anno XCIII vel exeunti, vel etiam ineunti XCIV erit assignandum. Sic matrem filiorum illorum ætate, quæ per leges nubilis erat, prima duxerit Quintilianus, anno nimirum ætatis ejus XII uti diximus, expleto; domini nimirum LXXXII ineunte. Et recte adeo ætatem ejus puellarem fuisse dicit suæ comparatam. Egit enim certe Quintilianus ætatis suæ an-

num XL quum illa suæ explevisset XII. Sic etiam primo suscepti operis anno, nimirum XCII sororis nepotes Quintiliano crediderit Domitianus: quum scilicet tres suscepti operis libros priores absolvisset. Annum enim ego primum quinque prioribus libris tribuendum existimo. Tum enim dilatorum aliquantisper studiorum veniam petit, idque pro magno habet, si post tantos dolores, posset ea, etiam mora quantavis interposita, repetere.

XXII[1]. Satis autem apte conveniunt huic anno memoratæ in hoc opere temporum notæ. Ait «laudes[2] Jovis «Capitolini perpetuam fuisse sacri certaminis mate«riam.» Agones intelligit Capitolinos in honorem Jovis Capitolini. In illis et prosa oratione græce latineque certatum testatur Suetonius[3]. Instituti illi sunt a Domitiano anno æræ nostræ LXXXVI, ut nos docet Censorinus[4]. Ita binos videre potuit, quum hæc scriberet, Quintilianus. Ait præterea de Britannia, quum illam Cæsar aggrederetur, in Suasoria quærendum an insula[5] esset? nam tunc, inquit, ignorabatur. Et quidem nupera Quintiliani memoria, hoc ipso imperante, sub quo scripsit ille, Domitiano, primus classe Britanniam circuivit Agricola, insulamque esse deprehendit. Agricolæ hoc tribuendum esse consentientem Tacito[6] testem habemus, etiam [7]Dionem. Sed quo anno hoc deprehenderit Agricola, nondum habent eruditi exploratum. Tum autem ait contigisse

1. Certe post annum LXXXVI quo instituti sunt a Domitiano Agones Capitolini, et quo Britanniam tum primum circum navigatam insulam esse deprehenderat Agricola.
2. Quint. Inst. lib. III, c. 7.
3. Suet. Dom. c. 4.
4. Censorin. c. 17.
5. Quint. lib. VII Inst. c. 3.
6. Cornel. Tacit. in vita Agricolæ c. 28 ad 38.
7. Dio, lib. LXVI.

Dio, quum milites quidam, facta seditione, interfectisque centurionibus tribunisque suis ad naves confugissent, atque inde solvissent. Tum enim ait circumnavigasse illos eam partem Britanniæ, quæ spectat ad occidentem solem, ut fluctibus ventoque ferebantur. Quumque id fecissent atque ad altera castra Romanorum, quæ ibi erant, appulissent imprudentes; Agricolam et alios misisse, qui navibus eumdem cursum tenerent, ex quibus etiam insulam esse comperisse. Eadem illa procul dubio historia est, quam de Usipiis narrat in Agricolæ vita Tacitus, cap. 28. Quem annum proxime superiorem eo quo victus est ab Agricola Galgacus ex eodem Tacito fuisse colligitur. Ait enim eadem æstate cohortem Usipiorum in Britanniam trajecisse, qua victi sunt a Romanis Britanni Romanorum castra nocte aggressi, c. 26, 27, 28. Sic item in procinctu ipso pugnæ in Galgacum loquitur Agricola: « Ii sunt quos proximo « anno, unam legionem furto noctis aggressos clamore « debellastis. » Proinde terminum Britanniæ, quum pugnaretur, jam patere agnoscit etiam ipse Galgacus, c. 30. Verum id quidem de profugis Usipiis, quos illo ipso anno Britanniam circumvectos testatur Tacitus, c. 28. Sed nondum plenam fidem Romanis fecerat profugorum circumvectio, donec missi etiam ab Agricola insulam circumdedissent, quod post prælium cum Galgaco contigit. Tunc enim præfecto classis circumvehi Britanniam præcepit Agricola, eodem auctore Tacito, c. 38. Annum illum octavum numerat apud illum Agricola adventus sui in Britanniam, c. 33. Is autem cum quo sit Domini anno committendus, nondum viderunt eruditi. Ego cum anno æræ nostræ LXXXVI eumdem existimo. Ait Dio a rebus ab Agricola in Bri-

tannia gestis Titum imperatorem XV fuisse appellatum. Sed male Dionem intelligunt qui de belli exitu illum loqui putant: immo bellum illud sub Tito fuisse idem docet Dio. Quum fuisse dicit, cœpisse, ni fallor, innuit. Firmat præterea Dionis de Titi titulo imperatorio testimonium etiam Tacitus, qui primo hujus belli anno, quo venit in provinciam Agricola, res ab eo gestas docet titulo imperatorio dignissimas, pacem scilicet a Britannis petitam, ac deditam insulam Monæ, unde Voadiciæ defectione revocatus fuerat Suetonius Paulinus. Sequitur: « Nec[1] Agricola prosperitate rerum in vanitatem « usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos con- « tinuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est. Sed « ipsa dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus « quanta futuri spe tam magna tacuisset, » c. 18. Erant itaque res illæ expeditionis nomine victoriæque satis dignæ, et litteris etiam laureatis. Nec principi, cujus auspiciis gestæ erant, obstare oportebat modestiam Agricolæ. Proinde de primo hujus præfecturæ anno, non de ultimo, titulum illum Titus auxit imperatorium. Hoc etiam docent tot aliæ res Domitiani rebus Agricolæ posterioribus coævæ a Tacito ipso recensitæ c. 39, nec ipsæ tamen imperii initio assignandæ: « Falsus nimi- « rum e Germania triumphus, emptis per commercia, « quorum habitus et crines in captivorum speciem for- « marentur. » Hæc certe bello cum Quadis et Marcomannis et cum Decebalo Dacorum rege assignanda esse, et Dionis fragmentis colligitur tam Xiphilinianis quam etiam Theodosianis, et Constantini Porphyrogeneti, oppresso jam Sabino consulari. Imo Decebalum illi in eo bello hostem fuisse innuit certe coævus Pli-

1. Tacit. Vit. Agric. c. 18.

nius [1], dum confert invicem res Domitiani Trajanique cum eodem illo hoste gestas, nempe Decebalo. Scio Oppium illum Sabinum appellari in nonnullis codicibus Suetonii. Sed non temere Casaubonum, verum auctore Salmasiano aliisque codicibus MSS Appium reposuisse observavit Cl. Grævius. Et Appium eundem agnoscit Eutropius [2]: agnoscunt etiam Fasti cum Domitiano X. Cos. collegam Appium Junium Sabinum anno æræ christianæ LXXXIV. Is in provinciam missus consularis anno sequenti LXXXV, et occisus a Dacis ita Domitiano occasionem dedit anno eodem exeunte, ut in illos expeditionem ipse susceperit. Anno autem proximo, pro nostris rationibus, victus est ab Agricola Galgacus. Missum enim existimo in provinciam Agricolam a Vespasiano etiamnum superstite anno æræ nostræ LXXIX: sic tamen ut res ab eo gestæ in Titi imperium inciderint. Obierat enim pater die Junii XXIV, antea nimirum quam in provinciam venire potuerit Agricola. Inde factum, ut res ab eo gestæ Titi auxerint titulos imperatorios. Et quidem imperator XV Titus appellatus est jam Divi filius, Trib. Pot. IX (quæ medio anno LXXX exibat) ut nos docent numi Cl. Mediobarbi, et thesauri Palatini unus editus a Cl. Begero. Sic etiam ut sint etiam apud Mediobarbum numi nonnulli eadem tribunitia potestate signati, qui eum imp. tantum XIV agnoscunt, quibus similem nos etiam unum vidimus in thesauro Laudensi Bodleiano. Inde manifestum est hac tandem tribunitia potestate titulum illum imperatorium novum accessisse. Et quidem transacta ætate debellatum cum Britannis docet Tacitus [3]. Hoc proinde

1. Plin. Panegyr.
2. Eutrop. lib. VII.
3. Cornel. Tacit. in vita Agricolæ cap. 18.

anno, non sequenti, quo exeunte tribunitiam potestatem X Titus numeravit. Immo T. P. IX illam cum Cos. VII committunt numi anno proinde LXXIX percussi. Sequenti enim anno consulatum Titus inivit VIII. Itaque primus Agricolæ in Britannia is annus erat, quem numeramus Domini LXXIX, octavus autem, quo Britanniam circumnavigavit, LXXXVI æræ christianæ. Idem nimirum quo victus a Dacis falsum tamen de Dacis triumphum egit Domitianus. Ipso illo anno T. P. V. Cos. XII Domitianum imp. XI, XII, XIII appellant numi, unde intelligimus titulos imperatorios ad minimum XII et XIII de novo accessisse. Occurrit in iisdem etiam VICTORIA AUGUSTI SC. cum tropæo. Desunt tamen fateor triumphi notæ quadrigæ, quas tamen signatas legimus in prioris anni LXXXV numis. Hæc ratio fuisse videtur, cur illi potius anno triumphum illum commentitium assignet Mediobarbus: idque fortasse rectius. Nescio enim an eo spectarint verba Taciti de excepto a Domitiano victoriæ nuncio : « Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, » c. 39. Nuper ait, non hoc ipso, quo Agricola Britannos vicit, anno, derisui fuisse falsum Domitiani triumphum, ut fuerit proinde ad superiorem potius annum fortasse referendus. Id unum tamen in ea sententia difficile est, quod raro admodum in provincias mitterentur, aut e principis latere discederent consules ordinarii per annum illum quo consulatum gesserant, magistratu ipso licet abdicato. Erant enim illi e consilio principis senatorio, et in imperii comitiis locum habebant apud principem ipsum celebrandis. Sic Galbæ [1] legimus affuisse collegam ejus in consulatu Vinium, dum

1. Tacit. Hist. lib. I, c. 14.

ab eo Piso adoptaretur in comitiis imperii. Ita Trajano affuit in terræ motu Antiocheno Pedo [1] consul ordinarius, quum tamen anni fine motus ille contigerit. Ita Memmium [2] etiam Fuscum consulem ordinarium comitem habuit Byzantii Valerianus in expeditione Persica, diu postea quam magistratu cessissent consules ordinarii. Sed pendebat hoc e principis arbitrio, nec adeo multum pugnamus, quin potuerit consulem ordinarium ipso consulatus anno in provinciam mittere Domitianus, id scilicet exigente usu reipublicæ, princeps ipse alioqui licentissimus. Nobis impræsentiarum satis est, si hoc anno LXXXVI Britanniam circumnavigarit Agricola. Hinc enim colligitur postea librum hujus operis VII scripsisse Quintilianum: nec enim ille quasi de re nova loquitur.

XXIII [3]. Porro de ipso Domitiano ita [4] Quintilianus: « Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit « cura terrarum, parumque Diis visum est esse eum « maximum poetarum. Quid tamen iis ipsis ejus operi- « bus, in quæ donatus imperio juvenis successerat, su- « blimius, doctius, omnibus denique numeris præstan- « tius? Quis enim caneret bella melius, quam qui sic « gerit? Quem præsidentes studiis Deæ propius audi- « rent? Cui magis suas artes aperiret familiare nomen « Minervæ? » Itaque jam erat in imperio, quum scriberet Noster, Domitianus: etiam et bella gesserat, unde pariter imperatoris honor, (fictitius tamen) ac poetæ. Scripserat enim de bello Titi fratris Judæo, ut e Valerii Flacci colligimus Argonautico. Ut proinde satis apte

1. Dio.
2. Pollio, Vit. Valerian.
3. Post octobris diem 24 anni LXXXVI, quo juvenis esse desierat Domitianus.
4. Quint. Inst. lib. X, c. 1.

invicem bella contulerit Quintilianus, quæ gesserat Domitianus, et quæ cecinerat. Ab illis bellis in propria persona gestis tot illos habemus in coævis horum temporum numis titulos imperatorios. Ab illis cognomina non Germanici modo (cujus meminit Quintilianus) sed Dacici, quo illum ornant, non quidem numi aut inscriptiones, sed coævi tamen auctores, Martialis [1] atque Juvenalis [2]. Et templum gentis Flaviæ jam condiderat, et templi numen (sic enim fortasse potius legendum) familiare Minervam adsciverat. Et ludos, ni fallor, instituerat in ejusdem numinis honorem in Albano quotannis celebrandos. Sed hæc fateor primis aliquot imperii annis convenire potuisse. Non item illud quod dicit, donatum imperio juvenem successisse: id quod ostendunt proximi ante Augusteam dignitatem numi, qui illum principem juventutis appellant. Non utique ita appellandum, ni fuisset etiam ipse, romano saltem censu, juvenis. Sed post supremam Augusti dignitatem neminem legimus, ut fuerit ætate juvenis, qui tamen princeps juventutis fuerit appellatus. Immo juvenis nomen, annis etiam juvenilibus, indignatus est Augustus Caius [3], tamquam imperii majestati parum congruum. Et alio tamen capite Augusto indignus erat titulus principis juventutis, quod ordinis duntaxat equestris principatum designaret, quum tamen ordinis amplissimi princeps esset, ut alibi ostendimus [4], Augustus. Non tamen illud obstabat, quo minus ætas etiam Augusti, pro recepto Romanorum censu, haberetur juvenilis: pertigitque census ille ad annum ætatis XXXV. Natus est Domitianus anno æræ nostræ LI, octobris die XXIV.

1. Martial. Epist. Ded. lib. VIII.
2. Juvenal. Sat. VI, v. 204.
3. Dio, lib. LIX.
4. Præl. XVIII ad Sp. Adrian. §. 8.

Sic juventutem absolverit natali suo octobris die itidem XXIV anni LXXXVI. Nec dedignabatur juventutis suæ mentionem ille, qua quidem ad rerum gestarum magnitudinem augendam faciebat ætas ipsa minorennis. Hoc certe nomine illum laudat Josephus ab[1] ætate ejus juvenili, quum Capitolium occuparet: non id procul dubio facturus, si ingratum censuisset. Immo de ætate sua, quum triumpharet, juvenili gloriatur ipse Domitianus; et quidem jam Augustus. Legimus apud Cl. Mediobarbum numum Cos. X signatum in cujus parte postica illa sunt verba : JOVI JUVENI TRIUMPHATORI. Ita ille anno Domini LXXXIV, quo annum egit ætatis ad minimum XXXIII. Similiter JOVI JUVENI in multis Commodi, jam etiam Augusti numis legimus. Nec vero dubium est, Deos illos Deasque qui in numis Augustorum Augustarumque occurrunt pro ipsis sæpe Augustis atque Augustabus intelligi. Sic etiam JUVENTA IMPERII in numo Caracallæ cum patre jam Augusti legitur. Et JUVENTUS AUG. in numis Augustorum Gallieni atque Claudii, qui successit Gallieno. Et quæ eodem spectant, ad ætatem nempe principis juvenilem, SPES PUBLICA et JOVI CRESCENTI in numis item Gallieni. Proinde non absurde Domitiano, quum succederet, juventutem gratulatur Quintilianus. Idem tamen supponit, qui, quum imperio donaretur, juvenis fuerat, jam sane amplius, quum hæc scriberet, juvenem non fuisse, sed annis aliquot ætatem illam superasse; quod nostris convenit examussim, quas dedimus, rationibus.

XXIV[2]. Sed et illa quoque Quintiliani verba et Domitiani tempora referenda sunt: « [3]Laudandum in qui-

1. Joseph.
2. Post anni æræ christianæ XCI finem, quo Julia consecrata est.
3. Quint. Inst. lib. III, c. 7.

« busdam, quod geniti immortales: in quibusdam, quod « immortalitatem virtute sunt consecuti : quod pietas « principis nostri præsentium quoque temporum decus « fecit. » Habuit nimirum in animo illos quos sibi pietatis officiis conjunctos Domitianus in Deorum numerum referret : Titum nempe fratrem, et Titi filiam Juliam, et filium e Domitia Cæsarem infantem. Sed vero Titum ipso mox imperii initio consecravit, alioqui memoriæ ejus infensissimus. Filium 2° ejus consulatu natum testatur Suetonius [1], qui certe de 2° ante imperium consulatu intelligi non potest ; quum et infantem illum, et tamen Augusti Domitiani filium, fuisse doceant numi, doceat etiam Martialis [2]. Accedo itaque viris doctissimis, qui secundum illum consulatum de 2° intelligunt consulatu ordinario, post imperium, quem tertio imperii anno, Domini LXXXIII, gessit Domitianus. Et quidem utroque modo consulatus illius numerant antiqui Fasti, nunc scilicet prætermissis consulatibus suffectis, nunc etiam illis in censum acceptis: potuitque hoc e coævo aliquo auctore, qui suffectos consulatus dedignatus fuerit, accipere Suetonius. Immo potuit ipse, primo post imperium consulatu, ita numerare Domitianus. Sprevit ille, fateor, suffectos suos sub patre consulatus, unicumque inter illos ordinarium, quod sciret illis præcipitem suam dominandi libidinem fuisse repressam. Idem tamen postea, quum consulatuum multitudinem mire affectaret, hos etiam censuit in numerum accipiendos. Postea certe numum ego inscriptionemve coævam nullam reperio, quæ priores etiam consulatus omiserit. Porro Domitia mater Divi Cæsaris

1. Tranquillus Suetonius in Domitiani vita, c. 3.

2. Martial. lib. IV, ep. 3; lib. VI, ep. 3.

in numis appellatur. Inde certo constat fuisse illam postea in matrimonio Domitiani. Immo anno proximo et filiam Domitiano peperit, si tamen vera sit lectio, quam e codice Salmasiano alioque vetusto servavit doctissimus Grævius, filiam illam natam oportet anno nostræ æræ LXXXIX. Post partum illum utrumque repudiatam docet Suetonius, propter adulterium cum Paride histrione, et tamen rursus in conjugium ab impatiente dissidii, quasi hoc efflagitante populo, receptam. Sic aliquot annis infantis Cæsaris partu serius fuerit repudium illud Domitiæ. Immo caput Domitiæ spicis ornatum in numo Domitiani XI Cos. reperit Cl. Mediobarbus. Numus ille ante annum Domini LXXXV cudi non potuit. Julia adhuc serius in cælitum numerum adscripta est. Ait illam Suetonius a Domitiano devincto Domitiæ nuptiis pertinacissime recusatam. Inde intelligimus solutis demum cum Domitia nuptiis ardentissime palamque illam a Domitiano fuisse dilectam: post repudium nempe Domitiæ, de quo testem habemus disertissimum Dionem[1]. Repudiata enim Domitia, occisoque propter adulterium ejus Paride histrione, tum demum ait Domitianum cum fratris sui filia Julia, tamquam cum uxore coiisse. Tantum enim abest ut post mortem Domitiæ hoc contingere potuerit ut Juliæ Domitia, immo ipsi Domitiano, superstes fuerit. Immo adscitam in consilium de cæde Domitiani fuisse docet Victor epitomator: immo ante illum ipse Dio. Sed vero Juliæ consecratæ duos qui meminerint numos habet Cl. Mediobarbus, alium Cos. XV, alium Cos. XVI signatos: recenti, ut videtur, ambos mortis consecrationisque memoria. Sic anno æræ nostræ XCI decesserit, quum

1. Dio, lib. LXVII.

jam prope esset consulatus Domitiani XVI. Sic inter annos LXXXV et XCI, Domitiam repudiaverit Domitianus, et cum Julia jam palam tamquam cum uxore consueverit, Juvenalis[1] plures uno abortus Juliam fecisse testatur, e qua causa mortuam fuisse tradit Suetonius[2]. Ita plures uno annos in illo Domitiani seu matrimonio, seu concubinatu, Juliam fuisse necesse erit. Immo illo tempore violatam docet Juvenalis[3] a Domitiano Juliam, quo leges de pudicitia amarissimas revocavit Domitianus; Juliam scilicet et Scantiniam. Illas nimirum leges, de quibus in vita ejus Suetonius[4], et Martialis[5]. Et paulo ante expeditionem illam in Germaniam, in qua ne quidem hostem vidit, ut videtur innuere Dio. Ego repudiatam Domitiam, violatam Juliam, sub finem anni LXXXV existimo. Itaque post annum XCI scripsisse illa Quintilianum oportet, si post Juliæ consecrationem scripserit. Aliquot certe supponit consecrationes his, quas diximus, admodum affines, et tales illas, ut præsentium, quibus scripsit, temporum decus fuerint, personarum principi pietatis officiis conjunctarum. Sed vero in Titi consecratione proprium nullum erat præsentium temporum decus, quum decessores bonos olim consecrare solerent boni successores. Itaque utramque hanc consecrationem in animo habuerit oportet, si plures una consecrationes designare voluit hominum pietatis officiis Domitiano conjunctorum. Quæ sane accurate cum nostris convenient, quas dedimus, hypothesibus. Potuit etiam fortassis et gentis Flaviæ templum commune omnium Flaviorum ob oculos habere. Quod tamen

1. Juv. Sat. II, vs. 30, 31, 32, 33.
2. Suet. Dom. c. 22.
3. Juv. Sat. II, vs. 37, 44.
4. Suet. Dom. c. 7, 8.
5. Martialis epigrammatum lib. VI, ep. 2, 4.

ipsum post aliquot imperii annos condidit. Annum autem quo absolverit, nec e numis qui ejus meminerunt, nec ex auctoribus, habemus exploratum. Chronici autem Eusebiani quæ sit in annorum situ fides præstare non audeo. Sero illius meminit Martialis [1].

XXV [2]. Ita denique de Valerio Flacco idem Quintilianus: « Multum, inquit, in Valerio Flacco nuper ami« simus. » Obierat ergo, et nuper obierat, Valerius ille Flaccus. Idem nempe Valerius cujus habemus hodieque Argonautica, qui tamen hoc opus scripsit imperante Domitiano. Hoc certe colligimus ex illis illius ad Vespasianum verbis:

> ..... [3] Tuque o, pelagi cui major aperti
> Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
> Oceanus Phrygios prius indignatus Iulos,
> Eripe me populis, et habenti nubila terræ,
> Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti
> Facta virum. Versam proles tua pandit Idumen
> (Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
> Spargentemque faces, et in omni turre furentem.
> Ille tibi cultusque Deum, delubraque genti
> Instituet; quum jam genitor lucebis ab omni
> Parte poli: neque enim in Tyrias Cynosura carinas
> Certior, aut Graiis Helice servanda magistris:
> Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia mittet,
> Et Sidon, Nilusque, rates. Nunc nostra serenus
> Orsa juves; hæc ut Latias vox impleat urbes.

Invocat, fateor, hoc in loco, Vespasianum ipsum. Male tamen inde colligunt nonnulli scripsisse illum imperante Vespasiano. Invocat, inquam, sed sanctum jam, consecratum scilicet; sed in eo loco situm, unde illum

1. Mart. lib. IX, ep. 1.

2. Post finem an. LXXXIX quo finem Argonauticon poemati videtur imposuisse Valerius Flaccus.

3. Valer. Flacc. Arg. lib. I, v. 7, etc.

populis et terræ nubilosæ posset eripere, cælesti procul dubio illo. Quomodo enim ille Valerium potuit terræ eripere, si ipse adhuc versaretur in terris? Ait præterea, quum lucem esset ab omni poli parte daturus, tum demum illi cultus Deorum instituturum, et delubra genti Flaviæ, fore Domitianum. Non tamen inde colligendum, nondum illum ita illuxisse. Immo gentis Flaviæ templum struxerat certe Domitianus, jam Augustus, quum illa scriberet Valerius. Sed morem ille poetarum secutus est, ita de rebus jam præteritis, quasi adhuc futuræ essent, vaticinantium. Receptam etiam illorum temporum sententiam imitatus, receptos fuisse in sidera consecratos imperatores, quæ etiam ipsa fuerint, pro principis dignitate, conspicua. Sic enim Romulum et Remum cum sideribus, sic Castorem et Pollucem repræsentant hodieque antiqui numi. Sic et Neronem sideribus potiturum gratulatur Lucanus [1]. Sic in hoc ipso Domitiani imperio puerum illum Cæsarem Divum sideribus cinctum exhibent coævæ illius in numis effigies. Scio etiam aliorum hominum insignium animas in stellis constituisse Platonicos, ut e Somnio Scipionis discimus, et Macrobii in illud commentario. Sed Cæsaribus e Julio sidere petitum arbitror exemplum. Id ergo vult Valerius, sidus Vespasiani ita fore, pro animæ dignitate, lucidum, ut splendidissimos nautarum duces, constellationes Cynosuram et Helicem fulgore suo fuerit superaturum, ut proinde illud potius deinceps observarent nautæ, qui stellas in navigationibus suis observabant omnium fulgentissimas. Sed unde illa resciscere potuit, si vivo illa scripsisset Vespasiano? Unde Domitianum fore, non patri modo, verum etiam

1. Lucan. Pharsa llib. I, 46.

fratri, superstitem? Unde, non Titum, qui Vespasianum patrem in Divorum numerum retulerat, sed Domitianum cultus Deum illi instituturum? Unde et illum cultus modum, templum nimirum commune gentis Flaviæ cum sodalibus Flavianis? Scripsit ergo illa certe rerum jam potito Domitiano: et quidem ipso operis, ut videmus, exordio. Eo tamen usque in Domitiani tempora perseveravit, ut opus integrum absolveret, editionique maturum redderet, quod certe pro illorum temporum tarda admodum maturitate, paucorum esse annorum non potuit. Recitabant enim, emendabant, apud se premebant, in aliquot annos retractandum; his præsertim, de quibus agimus, temporibus. Sic vidimus facere voluisse nostrum ipsum Quintilianum, in opere etiam non poetico. Sic fecit etiam poeta Valerio coævus Statius, caloris licet impetusque, ut e Sylvis constat, extemporanei. Is tamen ipse duodecim Thebaidos libros [1] per annos duodecim elucubravit. Illo si exemplo scripserit Valerius, annos ad minimum octo libris octo impenderit, annumque adeo Domitiani octavum superaverit, qui anno æræ nostræ LXXXIX exeunti convenit. Et sane Flaccum hunc Valerium, ut videtur, a re poetica celebrem memorat aliquoties, sub Domitiano, Martialis [2].

XXVI [3]. Sic illæ nimirum notæ invicem consentiunt, ut, nisi affecto Domitiani imperio, scribere illa Quintilianus non potuerit. Sic item vice versa, ut nulla prorsus sit necessitas, cur ultra illum, quem dedimus, anni XCIV cœpti limitem, protrahantur, ad finem operi im-

1. Stat. Theb. lib. XII fine.

2. Martial. lib. I, ep. 76; epigr. lib. IV, 49.

3. Finis Institutionum anno XCIV recentior esse non potuit, quo pulsi sunt ex Urbe philosophi.

ponendum. Immo pugnat nota alia ne ad annum XCIV affectum vel finis operis producatur. Philosophiæ aliquoties meminit, semperque cum laude[1]. Ita nimirum ut præcipua illius decora potiori jure suæ vindicet oratoriæ, æmulus proinde, non inimicus illius, appellandus. Etiam[2] philosophorum, præsertim Socratis[3], nec fere sine encomiis. Id unum in illis reprehendit, quod alieniores essent a gerenda republica[4], quam suum esse voluit, quem hic instituebat sapientem pariter atque oratorem. Et, si quos obiter perstringit philosophos, sic tamen id facit, ut philosophiam ipsam veneretur, eamque semper purget, ne commune haberet cum philosophis illis convicium. Itaque non tam philosophos illos agnoscit quam philosophiæ potius ostentatores[5], rei nimirum optimæ nomen duntaxat ementientes, quum essent a re ipsa, quam profitebantur, alienissimi. Hæc ille passim, etiam in libro ultimo[6] ne dubitemus alienis a philosophiæ laude temporibus, vel biennium illud, immo biennii etiam additamentum, quod operi concinnando impendisse se agnoscit, esse finiendum. Non ita certe scripsisse verisimile est, quum philosophos, malos pariter ac bonos, ad unum omnes, in reliquis Epictetum[7], hoc uno nomine quod philosophi essent, arceret urbe Domitianus. Non ita certe ornasset homines Domitiano ingratissimos, Domitiani tam proclivis, ut quam mollissime loquar, assentator. Sed anno illo ipso XCIV edictum illud, ut alibi ostendimus, quo urbe philosophis interdictum est, emisit Domitianus.

1. Procem. lib. I, cap. 4; lib. X, cap. 1; lib. XII, cap. 2.
2. Lib. X.
3. Lib. II, cap. 15; lib. VIII, cap. 4; lib. XI, cap. 1.
4. Lib. XI, cap. 1, lib. XII, c. 2.
5. Lib. XI, cap. 1.
6. Lib. XII, cap. 2.
7. Aulus Gellius Noct. Atticarum lib. II, c. 18.

XXVII[1]. Postremis certe Domitiani temporibus hæc esse tribuenda vel inde colligimus, quod Marcello Victorio institutiones suas Quintilianus inscripserit. Idem certe fuisse videtur Marcellus ille cum eo cui IV suum Silvarum librum inscripsit etiam Statius. Studium in Marcello eloquentiæ arguit quod libros de illo argumento illi dicarit noster Quintilianus. Et suum quoque Marcellum a facundia celebrat Statius: sunt enim illa ejus verba:

> ..... Juvenes facundia præterit annos[2].

Et rursus:

> ..... Nec enim tibi sola potentis
> Eloquii virtus[3].

Fuit et Marcello Quintilianeo filius[4] puer prima ætate, cujus in usum Institutiones suas destinavit Quintilianus. Prima illa ætas non infantiæ fuit, sed quæ manifestum iter ad ingenii lumen ostenderet: itaque minoris pueritiæ quæ infra annum XII censebatur. Paulo certe majorem illum ipsius Quintiliani filio majori, inde conjicimus, quod initio operis in Marcelli filii usum Institutiones scriptas monuerit; in sui filii usum eas scriptas non ante libri IV proœmium monuerit, sic etiam ibi ut Marcelli filium suo anteposuerit. Ita filio suo plusquam novenni[5] major Marcelli filius X certe saltem ætatis annum attigerit necesse est. Nondum majorem illam pueritiam ingressus, qua rhetoribus tradi in disciplinam solebant. Et filium Marcelli adhuc puerum memorat Statius:

1. Idem colligitur e Marcelli temporibus, ejusque filii.
2. Lib. IV, Silv. 4, v. 45.
3. Ibid. X, 64, 65.
4. Quint. procem. lib. I.
5. « Jam decimum ætatis annum « ingressus. » Quintilianus noster lib. VI, procem.

Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna.
Jam te blanda sinu Tyrio sibi gloria felix
Educat, et cunctas gaudet spondere curules [1].

Jam certe toga virili minorem illum fortasse innuit, quum puerum illum appellat, si quidem locutus fuerit, pro censu Romano, moribusque, accurate. Fieri tamen potuit, ut sensu paulo laxiori usurpaverit Statius. Sinu enim illo Tyrio qui cunctas curules sellas spondebat, latum fortasse clavum intellexit, qui aditum patefacere solebat ad omnes honores senatorios. Ea si mens illius fuerit, sic togam virilem jam nuper sumptam a puero illo Marcelli innuerit Statius. Pro lege scilicet Augusti, qua liberis senatorum, quo celerius reip. assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiæ interesse permissum testatur Suetonius [2]. Hæc Statius mense Julio anni quo XVII consulatum suscepit Domitianus, æræ nostræ XCV. Et quidem pro calculis nostris satis accurate. Qui enim anno XCII quo institutiones cœpit Quintilianus, annum absolverat ætatis duntaxat X, XIV absolvere non potuit ante annum XCVI: ita nimirum si pueri voce Statius usus fuerit accurate. Quod si laxius illam intellexerit, et togam puer ille cum lato clavo susceperit ante mensem Julium anni XCV, sic etiam ante mensem Julium anni XCII, annum ætatis XI absolverit, duodecenni tamen minor, et minoribus adeo pueris accensendus, ne quidem ita filio Quintiliani multo major. Ita quidem hæc invicem cohærent, ut error, si quis tamen sit, magnus certe esse non possit. Convenit præterea quod Marcellum ipsum

1. Stat. lib. IV, Silv. 4, v. 74, etc. 2. Suet. Aug. c. 38.

eodem illo anno XCV « forma egregium [1], » et « [2] juvenes annos habentem, » ipsumque adeo [3] juvenem memoret Statius: proinde infra annum ætatis XXXV. Et [4] tamen fascibus ejus subtextam dicit curam viæ latinæ obliquæ. Fasces illi, si consulares fuerint, sic annum superarit oportet ætatis XXXIII. Sic annum egerit ætatis vel XXXIV vel XXXV natus proinde anno æræ nostræ christianæ vel LIX vel LX. Ita filio suo major esse non potuit annis vel XX vel XXI, ducta nimirum uxore pueri matre anno ætatis suæ vel XX vel XIX. Scio quidem marium ætatem nuptiis necessariam annorum esse XIV: ita nimirum ut majorum ea ætate matrimonia rescindi non possent. Alioqui minorum annis XVIII virorum vix unquam legimus matrimonia. Hæc [5] certe ætas erat justæ et a pueris colendæ, ut vidimus, virilitatis. Hæc ætas primæ lanuginis, pubertatis plenæ indicis. Hac denique ætate filium adoptivum præcedere oportebat patrem adoptivum, modum nimirum patris naturalis receptissimum imitante patre adoptivo et legitimo. Sic etiam magnum errorem ne quidem patiuntur rationes nostræ, si cum Marcelli etiam ætate conferantur. Denique si togam cum lato clavo susceperit anno XCV filius Marcelli, ita certum est ante illum annum scripsisse Quintilianum duobus ad minimum annis, quum nondum ætatem illam attigisset filius Marcelli pueritiæ majoris, quæ rhetorum esset institutionibus matura. Sic undequaque verisimiles constabit nostros esse calculos.

XXVIII [6]. Constitutis jam illis quæ vidimus, hujus

1. V. 8.
2. V. 45.
3. V. 74.
4. V. 59, 60.
5. Hæc supra.
6. Pugnat ipsa temporum ratio

operis temporibus, ad rerum ejus aliarum hoc intervallo gestarum tempora similiter constituenda pergamus. Inprimis vidimus Quintiliani librum de causis corruptæ eloquentiæ anno æræ nostræ LXXXIX ab eo fuisse conscriptum. Vel inde facile intelligimus verum esse non posse, quod censuere viri nuper eruditissimi, eundem fuisse illum Quintiliani librum cum illo quem habemus hodieque Dialogo de claris oratoribus. Hoc quidem certum, codices MSS omnes non Quintiliano nostro, sed Tacito, Dialogum illum assignare. Unde ergo colligunt, refragantibus manuscriptis, Quintiliano tamen esse asserendum? Nempe quia scripserat Noster de causis corruptæ eloquentiæ, de eo etiam egerat argumento auctor Dialogi. Sed cujuscunque demum auctoris ille fuerit Dialogus, vel temporum ipsa ratio pugnat quo minus fuerit Quintiliani. Ait enim se Dialogi[1] auctor, juvenem admodum fuisse, quum colloquio illi interesset, quod tamen VI Vespasiani anno fuisse supponit. VI ille annus a kalendis Juliis anni LXXIV ad anni LXXV pertigit kalendas itidem Julias, quo certe tempore annum egit Quintilianus, pro nostris rationibus, ætatis vel XXXII vel XXXIII. Quæ sane ætas erat illa quidem juvenilis, ut jam ostendimus; non ita tamen ut admodum juvenis fuerit ætate illa appellandus. Initium juventutis designat vox illa admodum; et quidem juventutis illius, quæ proxime pueritiam togamque prætextam, pro romanis moribus, exceperit: illius, inquam, juventutis, qua oratorum concionibus sermonibusque aderant juvenes, qui nomen dabant studio oratoriæ,

quo minus Noster qui de Causis scripsit corruptæ eloquentiæ, idem auctor esse potuerit dialogi de claris Oratoribus qui cæterum in codicibus manuscrip. Tacito inscribitur.

1. Dialog. cap. 1.

quod se fecisse testatur auctor dialogi de Oratoribus. Ait enim sese « M. Aprum et Julium [1] Secundum, cele- « berrima tum ingenia fori Romani, non modo in ju- « diciis studiose audivisse, sed domi quoque et in pu- « blico fuisse assectatum, mira studiorum cupiditate, et « quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum » (sic enim domestica illorum colloquia appellat) « et « disputationes, et arcana semotæ dictionis penitus ex- « ceperit. » Studia plane narrat illius, pro illorum temporum more, juventutis. Taciti ætati illa conveniunt ad amussim. Natum illum putamus anno LIX. Sic anno LXXIV annum egerit XV anno LXXV, XVI, quæ ætas erat admodum juvenilis, qua scholas oratorum et colloquia frequentabant adolescentes studiis illis imbuendi. Ait præterea Dialogi auctor Julium illum Secundum in celeberrimis fuisse fori romani tum ingeniis. Sic nempe loquitur de Julio Secundo quasi de alterius quam quo vixit scripsitque auctor, seculi ornamento. Aliter de illo noster Quintilianus [2] : « Memini, inquit, narrasse « mihi Julium Secundum, illum æqualem meum, at- « que a me, ut notum est, familiariter amatum, miræ « facundiæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset « sibi a patruo suo dictum. » Vox illa æqualis latinis idem valet quod Græcis συνῆλιξ vel ἡλικιώτης, deque ætate intelligitur æquali, eorum scilicet qui simul pueri juvenesque fuerint; simulque studiis ætati congruis incubuerint, tam puerilibus nimirum quam etiam juvenilibus: paucorum admodum discrimen illa patiuntur annorum. Non tantum certe ut unus alterum studiose audiverit, aut domi quoque et in publico assectatus fuerit, aut fabulas etiam et disputationes et arcana semotæ dictio-

1. Cap. 2.

2. Quintil. Inst. lib. X, cap. 3.

nis penitus exceperit. Immo venerabile fuisse præcedere quatuor annis testatur[1] Juvenalis: ita nimirum ut parem aliquatenus reverentiam illam agnoscat quæ a pueris primæ juvenum lanugini dari solebat, ac ætati barbatæ. Utrobique enim pariter assurgebant, proinde aliam illam, nec suæ æqualem, ætatem agnoscentes. Erat præterea laxius Quintiliano in suo de causis corruptæ eloquentiæ libro quam sit illud dialogi de Oratoribus argumentum. Egerat enim in illo Noster de tropis, interque illos de hyperbole. Sic enim librum institutionum VIII claudit: « Sed de hoc satis, quia eundem lo-«cum plenius in eo libro quo causas corruptæ eloquen-«tiæ reddebamus, tractavimus.» Tale nihil occurrit in hodierno de Oratoribus dialogo: sed nec ullus est in dialogo hiatus. Polliceri quidem videtur auctor in[2] fine dialogi plura: novo tamen colloquii futuro die, nec alio quam ad dialogi ipsius argumentum spectantia. «Si qua, «inquit Maternus, tibi obscura in hoc meo sermone «visa sunt, de his rursus conferemus.» Ad secundum plane dialogum pertinere videbantur illa, quem absolverit necne auctor, incertum est. Unicum tamen, in utroque institutionum loco, memorat Noster suum de causis corruptæ eloquentiæ librum: et continuum, ut videtur, illum; non autem in forma dialogi. Denique jam ostendimus librum illum anno LXXXIX scripsisse Quintilianum. Nempe anno XIV, vel ad summum XV, post colloquium VI Vespasiani anno habitum. Qui autem admodum juvenis erat tempore colloquii, is annum ætatis XX superare non potuit, nec adeo annum XXXV explevisse anno Domini LXXXIX. Itaque juvenem ad-

1. Juven. Sat. XIII, vs. 54, 55, 56, 57 58, 59.

2. Dialogus de claris Oratoribus, cap. 42.

huc fuisse oportet qui juvenis admodum fuerat VI Vespasiani. Sed vero qui dialogum edidit auctor, VI Vespasiani admodum juvenis, jam sane se ne quidem juvenem fuisse innuit, quum dialogum scriberet ederetque. Neutrum vere de se asserere potuit utriusque operis auctor. Nec vere Quintilianus se fuisse juvenem admodum VI Vespasiani. Nec vere rursus auctor dialogi, quicunque demum is fuerit, se juventutem anno æræ christianæ LXXXIX superavisse. Aliarum gentium temporumve sermo est, de quo aliquoties observavit Casaubonus, quod κομιδῆ νέους *tricenarios* appellaverint. Nostra admodum juvenis ætas non νέου Græcis habetur, sed μείρακος seu μειρακίου. Hæc enim certe juventus quæ mox pueritiæ successit in studiis oratoriæ, non alia esse potuit quam dixi, si ad Romanas saltem consuetudines exigatur.

XXIX[1]. Postea uxorem Noster aliam duxit, ex qua filiam sustulit Tutilii neptem a Plinio[2] juniore discipulo memoratam. Et quidem ætatis suæ rhetoricæ scriptorem a Quintiliano commemoratum Tutilium dicit Catanæus[3]. Sed fefellit virum doctum, nisi ipse fallor, memoria. Rutilius enim ille, non Tutilius, est cujus mentio est apud Quintilianum illo ipso institutionum loco, quo nos retulit Catanæus. Verba Nostri illa sunt: « [4] Scripsit de eadem materia (rhetorica scilicet) non « pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater « Gallio; accurate vero priores Gallione Celsus et Le« nas, et ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt « et hodie clari ejusdem operis auctores: qui si omnia

1. Aliam postea uxorem duxit Quintilianus Tutilii vel Rutilii rhetoris filiam.
2. Plin. lib. VI, ep. 32.
3. In loc. Plinii.
4. Quint. lib. III, cap. 1.

« complexi forent, consuluissent labori meo. Sed parco « nominibus viventium. » Vel itaque fefellit memoria, uti dixi, Catanæum; vel pro Rutilio Tutilium ille in coævis exemplaribus repererat. Estque sane litterarum illarum mutatio longe facillima, si præsertim litteris conciperetur minusculis, ut solent plerumque nomina etiam propria concipi in codicibus manuscriptis. Erat sane illis etiam temporibus, ut e Martiali[1] constat, rhetor Tutilius quam veram esse in Martiali lectionem lex ipsa carminis evincit. Inde Scriverius[2] Quintilianum ipsum corrigendum esse censet. Præsertim accedente Plinii etiam testimonio; et Plinii in loco etiam librariorum. Sic illi ambo, tam Scriverius quam Catanæus, quasi unico duntaxat Quintiliani in loco legeretur ille Rutilius. Sed Rutilii sæpe meminit[3] Noster, quem etiam Lupi[4] cognomine afficit. In illis omnibus durum est, si librarius errore sibi constanti atque uniformi deviarit. Fieri ergo potest ut illius Rutilii filiam uxorem duxerit Quintilianus. Erat enim sane ejusdem cum Quintiliano ipso ordinis socer ille Tutilius, seu Rutilius. Id nos docet ipse Plinius, quum filiam ejus Nonio Celeri viro senatorio nupturam, ita a Quintiliano patre institutam dicit, « ut decebat filiam, inquit, tuam, Tutilii neptem. » Idem ergo decor, eademque dignitas, Quintiliani patris avique, seu Tutilii, seu Rutilii. Infra senatoriam tamen, et proinde sponsi Nonii Celeris dignitatem, fuisse innuit satis aperte Plinius. « Quum tamen, inquit, sit « nuptura honestissimo viro, Nonio Celeri, cui ratio ci- « vilium officiorum necessitatem quamdam nitoris im-

1. Mart. lib. V.
2. Scriverius ad loc. Martialis Epigr. lib. V, 56, vs. 6.
3. Quint. Inst. lib. III, cap. 1; lib. IX, c. 2 et 3.
4. Quint. lib. IX, cap. 2.

« ponit, debet, secundum conditionem mariti, veste, « comitatu (quibus non quidem augetur dignitas, or- « natur tamen) instrui. » Hinc illa Plinio occasio, pro mariti futuri dignitate, dotis augendæ. Vir honestissimus non alius erat, pro sæculi illius sermone, quam senatorius. Et quidem senatoriam sponsi gentem arguunt tot illi, in coævis temporum illorum Fastis, consulatus. Videantur Fasti annorum æræ christianæ VIII, XXXIX, vel potius XXXVIII, XCIV, CXXVIII. Arguit etiam necessitas illa nitoris a ratione civilium officiorum imposita. Est enim ea ipsa sumptuosa[1] dignitas cujus alibi meminit idem Plinius: non alia utique quam senatoria. Nitor ille vestitus in lato erat præcipue clavo; comitatus autem in clientium sportulantium satellitio atque salutationibus. Hos sumptus si qui alii a senatoriis facere et possent et vellent; non tamen per leges licuit. Tantum aberat ut necessitate aliqua imponente illos facere oportuerit.

XXX[2]. Erat ergo tam Quintilianus ipse, quam et socer illius, dignitate infra senatoriam. Id quod etiam e rhetorum, quo functi fuerant, officio facile colligendum erat. Maximam enim fortunæ inconstantiam censuit Juvenalis[3], si ex consule rhetor fieret, aut vice versa de rhetore consul. Sic loquitur ille quasi altissimæ infimæque sortis haberetur tanta illa mutatio. Idem de gradu senatus prætorio observavit Plinius, vel apud illum potius Valerius Licinianus. Quum enim eo decideret, ut exsul sub Domitiano de senatore, rhetor de oratore fieret; sic Declamationis præfationem est

1. Plinius Secundus in Panegyrico ad Trajanum.

2. Nec socer Quintiliani, nec ipse adhuc senatorius. Opponuntur enim senatoribus rhetores.

3. Juv. sat. VII, v. 197, 198.

exorsus: « [1] Quos tibi, fortuna, ludos facis? Facis enim « ex professoribus senatores, ex senatoribus professores. » Itaque non consularis modo aut prætoria dignitas immensum quantum à professorio munere distabat, sed et alia quælibet, quæ quidem esset senatoria. Sed discrepabant invicem, ut e Plinio vidimus, rhetor et orator, eloquentia atque eloquentiæ professio. Ita nimirum ut oratoriæ eloquentiæque studium esset, etiam in viro quoque senatorio, honestissimum. Loci autem senatorii honorem imminuebat, si quis senator idem rhetor esset, et rhetoricam profiteretur. Rhetor appellabatur, qui scholæ publicæ præsidebat: professor, qui juventutem instituendam publice profitebatur. Qui nempe declamabat potius quam orabat, de fictitiis scilicet eloquentiæ exercendæ controversiis (sic enim appellabant), potius quam de veris in foro, aut etiam in senatu, causis. Non tamen dedignabantur, etiam senatores, domi juvenes in studiis oratoriæ instituere, etiam declamantes audire, et ipsi quoque declamationibus præfationibusque præire. Sic enim Hirtium et Pansam et Dolabellam generum domi docuit Cicero jam consularis. Sic Quintilianum nostrum Domitius Afer, qui fuerat antea quam nasceretur Noster, consul[2] sub Caligula. Sic Quintiliano admodum juvene, inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus[3] tractatum est, an *gradus eliminat*, apud Accium in tragœdia dici oportuisset. Erat enim rhetorum illa potius, quam oratorum, de re grammatica disputatio. Et præfationes illæ ad professionem spectabant, ut modo vidimus in causa Valerii Liciniani. Et quidem erat, quum præfationes illas ederet, jam certe

1. Plin. lib. IV, ep. 11.
2. Dio. lib. LIX.
3. Quintilian. Institut. lib. VIII, cap. 3.

senator Seneca. Revocatus ab exsilio[1], prætor designatus est anno æræ nostræ XLIX, quum ne quidem juvenis ætatem attigisset Quintilianus. Qui autem prætor designatus est, jam olim in senatu fuerit oportet, ante exsilium, et honores etiam gesserit prætura priores, quæsturam saltem et tribunatum, vel ædilitatem. Scio quidem locum inter prætorios per saltum aliquando dari solitum etiam illis qui honores senatorios priores nullos gesserant. Sic Magiis suis datum testis est [2]Velleius: sic etiam sæpenumero principibus imperii heredibus: idque fecerint in civium lustrationibus, pro arbitratu suo etiam aliquando censores. Sed rarius id civibus, qualis erat Seneca, privatis concessum legimus. Nec quidquam legimus in illius causa proprio aliquo jure actum, cur factam existimemus legis aliquam indulgentiam. Sic porro (ut ad institutum nostrum redeamus) M. Aprum et Julium secundum audiverat auctor[3] dialogi de Oratoribus. Et tamen latum clavum jam acceperat, ut ex ipsa ejus oratione constat, Marcus[4] Aper: etiam quæsturam, tribunatum, et prætoram, qui tamen erant honores senatorii. Sed hæc eadem facere domi suæ, aut in domibus, in quibus recitabant, conductitiis, ne quidem senatorem dedecebat locum in senatu obtinentem. In schola autem qui faceret, is professor appellabatur, quo sensu vox illa ad vitæ artificia extendi solebat. Is scholasticus a schola cognomen illud adeptus. Eundem autem cum scholastico[5] rhetorem fuisse docet auctor ille dialogi de Oratoribus. Hoc ergo munus erat in viro senatorio minus decorum. Et talis

1. Tacit. Ann. XII, cap. 8.
2. Velleius Paterculus Histor. lib. II, cap. 16.
3. Dialog. cap. 2.
4. Cap. 7.
5. Cap. 35.

fuerat, quum scholæ publicæ præesset, rhetor noster Quintilianus.

XXXI[1]. Non tamen illud obstabat quo minus nuptias filia ejus consequeretur senatorias. Nec enim infamis erat ipsa illa rhetorices professio, quamvis inferiori loco haberetur præ dignitate senatoria. Immo liberalia illa studia maximi faciebant etiam senatores, qui non census illius externive, qui in senatore necessarius erat, splendoris rationem solam habendam esse censerent. Inde Quintilianum nostrum modicum facultatibus, animo tamen beatissimum prædicat discipulus Plinius: eo nimirum sensu beatissimum quo vetulam divitem beatam appellat Juvenalis[2], pro coævo illorum temporum sermone. Itaque qui studia illa magni faciebant senatores, ne quidem conditiones eruditorum aspernabantur. Ita Pompeius Julianus, provinciæ princeps, inter altissimas (nuptiarum scilicet) conditiones, generum non honoribus principem, sed sapientia, elegit Euphratem, teste Plinio[3], philosophum. Sic etiam Quintiliani e priori matrimonio[4] filium heredem adoptaverat pater consularis, generum etiam designaverat avunculus prætor. Non ergo est quod miremur filiæ ejus conditionem tam honestam, quum jam majori haberetur in pretio, essetque in dies in eloquentiæ fama celebrior; quum jam discipulos suos haberet, adulta nimirum ætate, senatores.

XXXII[5]. Tempus autem novi hujus matrimonii e filiæ, ni fallor, ætate colligemus. Eam ætate nubili

1. Non tamen illud obstabat quo minus nuptias filia ejus consequeretur senatorias.
2. Juv. sat. I, v. 39.
3. Plin. lib. I, ep. 10.
4. Quintilianus noster Institut. Orat. lib. VI.
5. Secundam illam uxorem an. XCIV duxit, filiam autem an. XCV suscepit Quintilianus.

fuisse verisimillimum est, quum dotis illam accessionem offerret Plinius. Scio quidem sponsalia fuisse illis temporibus frequentissima liberorum etiam impuberum: vix tamen, ut opinor, nisi ambo fuissent impuberes, tam sponsus nimirum quam sponsa. Atqui Nonii Celeris sponsi ætatem adultam, ut puto, arguunt civilia illa officia, quæ necessitatem nitoris illi imponebant. Arguit etiam dotis fortasse constitutio, matrimonii mox futuri magis propria quam sponsalium. Nec vero e priori matrimonio natam exinde colligimus, quod extinctis duobus, quos dixi, filiis, deinde ne quidem patrimonii sui heredem [1] superesse queratur Quintilianus: exinde etiam quod puellam illam appellet Plinius. Non tamen inde quod puella fuerit, impuberem fuisse oportebat. Etiam annis pubertati proximis mansit tamen, pro coævo illorum temporum sermone, nomen ætatis puellaris. Sic ipse Quintilianus uxorem suam priorem, quæ annum XIX attigerat, ætate [2] puellari fuisse dicit, suæ comparata. Quum suæ comparatam ætatem illam puellarem appellat, majorem illam recepta ætatis puellaris significatione, nec multo tamen majorem, agnoscit. Sic itidem de uxore sua coævus Quintiliano, minor tamen, Plinius [3]: abortum fuisse, dum se prægnantem esse puellariter nesciret. Quod si ætate nubili fuerit filia Quintiliani, quum dotem illam donaret Plinius, annum certe ætatis XII exegerit oportet, limitem nimirum Romanæ, in femineo sexu, pubertatis. Plinius autem, post annum Domini CVII quo libros illos epistolarum collegit, ediditque, scribere illa non potuit. Antea potuit, nec multo tamen: rara enim ad-

1. Quint. procem. lib. VI fin.
2. Quint. ib.
3. Plinius Secundus Epistol. lib. VIII, ep. 10.

modum, si qua fortasse ulla, hic apparent, quæ scripsit ante cædem Domitiani. Esto ergo : duodecennis fuerit filia illa Quintiliani ipso illo anno, quo epistolam illam scripsit ediditque Plinius. Ita natam illam fuisse oportuit anno æræ nostræ XCV. Nec adeo nubere mater illius potuit ante annum XCIV, ut hæc illius primogenita fuisset. Æstate enim anni CVII in secessu Laurentino, libros priores epistolarum octo collegit Plinius emisitque. Itaque antea jam epistolam illam scripserat, adeoque antea XII ætatis annum impleverat filia Quintiliani. Vix autem ante annum XCIV fieri potuit, ut novam illam uxorem duxerit Quintilianus. Ita enim libri VI initio scribit, quasi nec heredem haberet, nec vel spem heredis. Non ita certe scripturus, si de novo aliquo matrimonio cogitasset. « [1] Nos, inquit, miseri, « sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus, aliis « præparamus, aliis relinquemus. » Nondum ergo anno, pro nostris rationibus, XCII jam affecto, de alia uxore egerat, quum tamen jam ultra triennium a prioris uxoris morte effluxisset. Inde connixis viribus in hoc institutionum opus incubuit, dum ad finem illud perduxisset, quod ineunte anno XCIV factum existimamus. Tum demum otium erat cogitandi de novo illo matrimonio : adeoque arcte invicem cohærent hæc omnia, ut longe me a vero matrimonii hujus tempore abesse non existimem. Orbam vero patre hanc uxorem Quintilianus duxerit necesse est, si quidem filia fuerit Tutilii. Tutilium enim suæ ætatis scriptoribus accenset ipse Quintilianus (si quidem idem ille cum Rutilio), qua vivis etiamnum, quum illa commentaretur ipse, scriptoribus opponebantur. Hæc ille libro operis tertio.

1. Procem. lib. VI fin.

Unde colligimus ante annum XCII fuisse defunctum. Eoque ordine recenset illos ætatis suæ scriptores, Virginium (rhetorem nimirum) Plinium et Tutilium. Si quidem vero obituum ordine, sic omnium ultimum necesse erit decessisse Tutilium. Atqui Plinium (majorem scilicet, quem habuit in animo Quintilianus) [1] anno LXXIX excessisse probavimus. Itaque medio illo spatio decesserit Tutilius inter anni LXXIX diem Augusti mensis 24, et annum XCII. Et filiam tamen anno XCIV nubilem reliquit, puberem scilicet, adeoque ad minimum duodecennem. Si virginem duxerit, Quintilianum ipsum infra annum LX fuisse necesse est. Id enim probri loco Ciceroni objectum ipse narrat[2], quod sexagenarius Popiliam virginem duxisset. Recte et illud, pro nostris hypothesibus, quæ illum quinquagenario propiorem faciunt, quam sexagenario.

XXXIII[3]. Ita vitam Quintiliani ad annum usque CVII æræ nostræ christianæ produximus, quo illam de filiæ nuptiis epistolam scripsit Plinius discipulus: nimirum ultra annum climactericum magnum tot viris maximis, pro veterum sententia, fatalem. Quousque postea vixerit, in tanta veterum monimentorum inopia, statuere difficile est. Hæc certe ultima illius est mentio, quæ quidem hodieque exstat, indubia prorsus, fideique exploratæ. Nihil ultra constat, ni locum conjecturis concedamus atque ratiociniis. Suspicor tamen illum Plinio discipulo fuisse superstitem, immo Hadriani etiam imperium attigisse. Si quidem antea mortuus fuisset quam Plinius e secessu in provinciam discederet, vix puto, hoc tacuisset ipse Plinius. Multos ille coævorum episto-

1. Ann. Plinian.
2. Quint. lib. VI, cap. 3, 4.
3. Superstes erat, et, existimo, Plinio discipulo præceptor Quintil.

lis, quum defungerentur, ornavit: Virginium Rufum[1], Corellium[2], Saturninum[3], Martialem[4] poetam, ipsum, quem contemnit, Regulum[5]. Etiam captavit, undequaque epistolarum argumenta, in otio præsertim illo et secessu studiis gratissimo. Solumne prætermissurus, quem maximo in honore habuit, præceptorem Quintilianum? Solumne illum qui styli ostentandi uberrimum præbiturus erat argumentum, styli ipsi ostentatori jactantissimo? præsertim jam gliscente in dies epistolarum fama, quum jam memoriæ causa cuperet epistolis Plinianis inseri Geminius[6]; parentationem certe inferiasque negare non potuit memoriæ præceptoris longe carissimi. Proinde annum illum secessus Pliniani CVII superavisse Nostrum est sane verisimillimum.

XXXIV[7]. Quod vero illum ad Hadriani etiam tempora pertigisse censeam, ex ornamentis quibus tandem honestatus est consularibus, elicio. Illum certe principis fuisse præceptorem, eoque nomine insignibus consularibus ornatum, tradit Ausonius[8]. Erat, fateor, post abdicatum officium docendi publicum, cura nepotum e sorore a Domitiano illi demandata. Certum hoc ex ipso Quintiliano[9]. Horum nomine ornamenta consularia illi decreta fuisse aliquando suspicabar. Sic [10]Verrium Flaccum e schola in Palatium ad nepotes ejus erudiendos transtulerat Augustus: ea tamen conditione ut ne quem amplius postea discipulum reciperet. Ad eundem plane modum quo Quintilianum nostrum schola

1. Lib. II, epistol. 1; lib. IX, epistol. 19.
2. Lib. I, ep. 12.
3. Lib. V, ep. 7.
4. Lib. III, ep. 21.
5. Lib. VI, ep. 2.
6. Lib. IX, ep. 11.
7. Quintilianus ornamentis consularibus insignitus. Si quidem a Domitiano, anno ær. Christ. XCII.
8. Auson. Gratiar. Act. ad Gratian. p. 712.
9. Quint. lib. IV, procem.
10. Suet. Grammat. c. 17.

publica defunctum suis e sorore nepotibus imbuendis præfecit Domitianus. Et viginti annorum in munere docendi publico factis stipendiis vicariam dignitatem postea emeriti loco decreverunt Theodosius [1] junior et Valentinianus Cæsar anno æræ nostræ CCCCXXV. Suspicabar legem illam a priorum temporum exemplis emanasse, quibus professoribus publicis emeritis aut principum institutoribus, honores plerumque decerni solebant. Inde colligebam consularium ornamentorum tempus vel a fine vicesimi in schola publica Quintiliani stipendii, vel a nepotum illa Domitiani institutione esse arcessendum. Atque ea me in sententia magis confirmabat, quod per Clementem consularia illa ornamenta sortitum Nostrum testetur Ausonius. Erant quidem sub Domitiano duo Clementes in Domitiani gratia celebres, Arretinus alius, alius ex eadem qua Domitianus ipse, gente Flavius, Domitiani e Vespasiani patris fratre Flavio Sabino, a Vitellianis interfecto, patruelis. Solus autem in hac causa locum habere potuit Clemens ille posterior Flavius. Duxit enim ille ipsam illam Domitiani sororem cujus noster meminit Quintilianus, ut nos docet in Apollonii vita Philostratus [2]. Imo ipsos illos ex ea filios sustulit, quorum studiis Quintilianus a Domitiano præfectus est. Ipsos enim illos « Flavii Clementis « filios etiam tum parvulos successores palam desti- « navisse, et abolito priori nomine, alterum Vespasia- « num appellari jussisse, alterum Domitianum » testatur Suetonius [3]. Ad adoptionem plane spectare videbatur nominum illa mutatio. Ita nimirum ut in illius familiam transituri viderentur, qui nova illis nomina impo-

1. Cod. lib. XII, tit. 15.
2. Philost. Vit. Apollonii, l. VIII.
3. Suetonius Tranquillus in vita Dom. cap. 15.

suerat. Ita Cæsares fuissent et filii Augusti in numis appellandi, quos palam Domitianus successores destinaverat, similesque adeo illis de quibus loquitur Ausonius. Sic fuerit illorum institutor, pro eorum, de quibus ille loquitur, exemplo honore aliquo publico remunerandus. Sic recte Clemens illorum pater consularia illa ornamenta præceptori filiorum impetrarit. Is, inquam, potius quam Domitianus ipse, quod nondum plena peracta esset adoptio, nec adeo e potestate ejus in Domitiani sacra domestica pueri migraverant. Eo etiam spectare potuit majoris Quintiliani filii a viro consulari adoptio, et quod prætorio jam avunculo gener fuerit designatus. Nec diu ante pueri obitum fuisse ambos illos ejusdem honores e patris Quintiliani testimonio facile colligitur. Tum vero admodum opportuni fuissent, patre jam consularia ornamenta sortito, parem nimirum honorem cum viris prætoriis atque consularibus. Hic ergo Clemens si consularia illa ornamenta Quintiliano nostro impetraverit, a vero tempore quo fuerint impetrata longe aberrare non poterimus. Clementem illum tantum non in ipso ejus consulatu Domitianum interemisse docet Suetonius. Si quidem de mensibus loquitur quibus consulatum ipsum gesserit, sic anni XCV mense Martio ineunte cæsus fuerit Clemens, nec potuit adeo post illum ipsum mensem consularia ornamenta consequi Quintilianus. Sed nec antea illa consequi idem potuit quam studiis puerorum præficeretur, quod factum anno, pro nostris rationibus XCII. Sic medio illo spatio inter annum XCII et XCV concludi oportebit Quintiliani nostri ornamenta illa consularia, si quidem illa, et propter pueros illos, et illo impetrante Clemente, fuerit consecutus. Immo ipso

illo anno XCII quo pueris præceptor datus est, si hæc patris ornamenta consularia in causa fuerint, cur filium Quintiliani pater consularis adoptaverit, et generum eundem prætorius avunculus designaverit. Nuper enim, quum moreretur, consulari adoptione ad omnium spes bonorum patris admotum, testis est de filio Quintilianus ipse pater. Satis nimirum commode inter libri IV Institutionum et VI initia.

XXXV[1]. Sic equidem hunc Quintiliani honorem disponendum esse crederem, si horum puerorum causa illum, et hoc Clemente impetrante, fuisset consecutus. Potius tamen eo propendeo, ut propter Hadrianum, eoque adeo imperante, ornamenta illa Noster acceperit. De Augustorum enim præceptoribus, qualis ipse fuerat Augusti Gratiani, loquitur Ausonius. « An tu, inquit, « solus præceptor Augusti? Immo ego cum multis con- « junctus officio, sed cum paucissimis secretus exem- « plo. » Proinde Augustorum duntaxat præceptores in sequentibus commemorat. Pergite deinde: « Nolo Con- « stantini temporum taxare collegas : Cæsares docean- « tur. » Hic palam ostendit, ita sibi consilium esse solos Augustos, Augustorumque præceptores recensendi, ut ne quidem Cæsarum præceptores memorare vellet. Et fuit quidem Augusti Neronis præceptor Seneca. Et Augusti magistrum Frontonem Marci appellat ipse Ausonius. Unicus est de quo ulla possit esse suspicio Augustusne fuerit, Maximinus junior, seu potius Maximus (sic enim illum appellant coævi numi), Maximini Thracis filius cujus præceptorem Titianum hic adducit

1. Non tamen propter illos Domitiani nepotes, sed propter Augustum aliquem, cujus præceptor fuerit, Quintilianus noster a principe ornamenta illa consularia consecutus est,

Ausonius. Sunt tamen etiam in illius numis argumenta Augustum illum a patre tandem fuisse appellatum. PIETAS AUG. in aversa parte legitur apud Cl. [1] Begerum e thesauro Palatino: Et VICTORIA AUGUSTORUM in uno; VICTORIA AUG. in alio numo apud Cl. Mediobarbum. Itaque pro Augusti magistro Quintilianum nostrum habuit Ausonius, quo titulo ipse etiam alibi sæpe gloriatur. Atqui tantum abest ut Augusti fuerint Domitiani illi nepotes, ut ne quidem ullos illorum numos habeamus, qui vel Cæsares illos, vel Augusti filios agnoscant. Immo nepotes illos non filios Domitiani appellat ipse Quintilianus. Inde colligitur, quum librum IV ipse scriberet, quum studiis illorum præficeretur, nondum illos a Domitiano fuisse adoptatos. Nulla prorsus illorum occurrit, post cædem Domitiani, in historia mentio, quæ tamen merito exspectanda erat, si publico aliquo titulo illos Domitianus insignivisset. Ad causam ergo quam egit Ausonius nihil plane faciebat nepotum Domitiani illud magisterium.

XXXVI [2]. Quod si ab Augusto aliquo discipulo consularibus ornamentis insignitus fuerit Noster, quærendum deinde erat, quis ille esse potuerit. Domitianum certe si instituisset, vix tacuisset ipse Quintilianus, quum de honore illo loquitur, quo nepotum curæ ipse ab eo fuisset admotus. Majoris enim gloriæ fuisset, si Augustum ipsum docuisset quam si filios Augusti. Successit Nerva Quintiliano ipso ætate major, ne discipulus esse posset. Trajanus annos oratoriæ dari solitos in castris egit, ut alibi [3] ostendimus. Immo expertem illum bonarum artium et ignarum fatetur Dio, adeo nimirum

1. Beger. num. 51.
2. Augustus ille vix alius esse potuit quam factus imp. Hadrianus.
3. Præl. IV ad Spart. Adrian. §. 5.

a Quintiliani disciplina alienum, ut nec alium aliquem oratoriæ magistrum habuerit. Proinde superest solus Hadrianus cujus magister esse potuit, si quidem Augustum ille discipulum habuerit. Et quidem illum constat artium liberalium omnium fuisse peritissimum. Erat præterea Hadrianus Romæ, quum scholam abdicaret Quintilianus, et ætate etiam illa quæ rhetoribus dare operam solebat. Anni enim LXXXVIII fine annum ætatis egit XIII, jam pueris grandioribus accensendus, quos apud rhetoras studuisse jam probavimus. Nec antea Roma in patriam concessit quam justam pueri ætatem penitus explevisset, sumpsissetque togam virilem. Potuit ergo eo usque Quintilianum docentem audire, sed privatus adhuc, et ne spei quidem imperatoriæ, quum spem adhuc nullam imperii concepisset vel Trajanus ejus avunculus. Ut tamen Quintilianum in schola docentem non audivisset Hadrianus, quum operam ille studiis rhetoricis nondum daret, aliud nihilominus tempus erat quo se oratoriæ addixerit, et quo Quintiliani disciplinam saltem domesticam satis commode habere potuerit. Quæstor Hadrianus anno CI quum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuncians risus esset, usque ad summam peritiam et facundiam Latinis operam dedit, inquit in vita Spartianus[1]. Hoc autem ipso tempore Quintilianum adhuc Romæ fuisse e Plinio juniore constat. Eundem postea jam principem professores omnes (in illis etiam rhetoras) et honoravisse, et divites fecisse idem docet Spartianus[2]. Vix est quod dubitemus quin ex hoc numero fuerit, si quidem adhuc in vivis esset, noster Quintilianus : professor ille nimirum olim publicus, et publico etiam stipendio.

1. Spart. Hadr. c. 3. 2. Spart. ibid. cap. 16.

Immo honorem illum ornamentorum consularium habuisse jam docuit Ausonius. Juvenalis etiam [1] divitem agnoscit, et fato potius cuidam imputat quam studio rhetorices. Sic enim ille:

> ..... Unde igitur tot
> Quintilianus habet saltus? exempla novorum
> Fatorum transi: felix, et pulcher, et acer;
> Felix et sapiens, et nobilis, et generosus
> Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

Cum divitiis hic et nobilitatem felici tribuit, et quidem senatoriam. Illorum enim erant lunulæ illæ calceis assutæ. Inde patriciam lunam illam appellat [2] Statius. Nec certe propter gentes patricias proprie sic dictas, quæ erant senatorum sub Romulo, sed quod senatorum propria esset, qui patres conscripti, etiam minorum gentium appellabantur. Innuit etiam postea nobilitatem consularem verbis illis:

> Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
> Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor[3].

Hæc sane quum Quintiliani causa dicat, vix est quin Quintilianum talem ostendant, e rhetore nimirum nobilem, senatorium, consularem; et quidem illis divitiis instructum, quæ essent etiam ad censum senatorium necessariæ. Jam enim olim ante hæc Quintiliani tempora ad locum in senatu capiendum necessarius erat, præter natales, etiam census senatorius. Is erat, his Quintiliani temporibus, teste Juvenale [4], triplex equestris; qui quum quadringenti esset sestertium, senatorius proinde valebat duodecies Hs. Et quidem ab

1. Juv. sat. VII, vs. 188-192, Editionis nostræ, volum. I, p. 552. Ed.
2. Stat. lib. V, Sylv. 2, v. 28.
3. Juvenal. sat. VII, vs. 197, 198.
4. Juvenalis in satira XIV, versu 326, volum. II, pag. 320.

ultimis Augusti temporibus. Auxit enim ille veterem senatorum censum nunc ad decies, tandem vero ad duodecies sestertium, ut e Dione[1] colligitur et [2]Plutarcho, suffragante etiam in censu sestertium duodecies Suetonio[3]. Itaque hanc summam explere illum oportebat qui locum in senatu tenere vellet. Necessarium sane ad sumptuosam illam, quam appellat Plinius, dignitatem cum decore sustinendam. Inde factum ut quos vellent in senatum allegere, iis, si aliunde non suppeteret, censum auxerint ipsi etiam Augusti. Præivit Augustus ipse primus, qui quum censum, pro eo quo dixi modo, ampliasset, supplevit[4] non habentibus. Secutus est Augustum[5] Tiberius. Inde in exemplum transiit apud successores. Alioqui onerosus futurus erat, nec adeo expetendus ordo etiam amplissimus, si deessent expensæ. Inde Propertium Celerem virum prætorium veniam ordinis ob paupertatem petiisse dicit Tacitus[6]. Inde tribunatus, si deessent candidati, senatores ex equitibus, creavit Augustus, ea tamen lege, ut[7] potestate transacta, in utro vellent ordine manerent: quoties nimirum metueretur gradus senatorius propter expensas. Inde denique toties legimus, etiam apud juniores Augustos, decretos honores cum sumptibus. Proinde non est quod dubitemus, quicumque demum ornamenta illa consularia Quintiliano nostro decrevit Augustus, eumdem etiam divitias honori sustinendo pares illi decrevisse. Erant quidem ornamenta illa consularia consulatu ipso nonnihil inferiora. Proinde honestamenta nominis potius quam insignia potestatis visa testatur

1. Dio, lib. LV.
2. Plutarch. Anton.
3. Suet. Aug. cap. 41.
4. Suet. Aug. ib.
5. Tacit. Ann. I, cap. 75.
6. Tacit. ib.
7. Suetonius Tranquillus in vita Aug. cap. 40.

Ausonius. Inde consularia[1] ornamenta prætoriis etiam viris concessit Julius: et, quum consulatum ipsum dare gravaretur, consularia tamen ornamenta[2] Claudio detulit Augustus. Immo procuratoribus suis ducenariis consularia ornamenta indulsit ipse Claudius. Rei tamen ipsius vicem supplebant illa ornamenta, pariter ut supplebant triumphi justi locum ornamenta triumphalia. Proinde non est quod dubitemus, quin et consulatus loco fuerint ornamenta etiam consularia. Honor proinde senatorius, sumptuumque adeo senatoriorum, qui vicem gessit honoris in senatu summi. Jura certe habuit consularia, si minus sententiæ inter consulares in senatu dicendæ, at saltem trabeæ consularis atque clientelæ. Illa certe ad minimum jura quæ sumptus exigerent. Atqui certum est ita nondum Domitiano imperante, ut ne quidem quum scriberet Plinius discipulus sub Trajano, Quintiliano nostro divitias fuisse senatorias. Modicum facultatibus scio, inquit ille ipse Plinius[3]: præ censu scilicet senatorio: de filiæ enim ibi nuptiis agit senatoriis.

XXXVII[4]. Sed vero Juvenalem scripsisse ante Plinium recepta est, fateor, etiam apud eruditos, opinio: inde nimirum oriunda quod irati histrionis exsulem illum appellet Sidonius Apollinaris. Iratum illum histrionem Paridem intelligunt, et quidem posteriorem illum Paridem propter adulterium cum Domitia occisum a Domitiano. Ab illo credunt Paride, propter paucos quosdam satiræ, quibus illum perstrinxerit, versus pulsum fuisse in exsilium Juvenalem, missum nimirum per speciem honoris ad præfecturam cohortis in extrema

1. Suet. Jul. cap. 76.
2. Suet. Claud. cap. 5.
3. Plin. Secundus epistol. lib. VI, ep. 32.
4. Non sibi constat recepta illa opinio, quod sub Domitiano scripserit, et a Paride actus sit in exsilium Juvenalis.

parte tendentis Ægypti. Inde nunquam rediisse, verum intra brevissimum tempus angore et tædio periisse. Hæc si vera essent, sic ante repudium Domitiæ, quo tempore Paris occisus est, oportuit scripsisse Juvenalem; aliquot certe annis ante consecrationem Juliæ, quæ anno periit, ut vidimus, æræ nostræ XCI, multis certe ante finem Domitiani annis, cui adeo ipse superstes esse non potuit. Ita periisse necesse erat, antea quam scriberet Plinius, tantas illas Quintiliani divitias. Quo tandem, quæso, illius merito? Quo etiam infesto principe, quum Domitiani gratia esset florentissimus? Ubinam ergo beatitudo ejus illa, quam adeo in illo celebravit discipulus Plinius? Mirum est profecto nondum vidisse eruditos quam hæc omnia inepte invicem cohæreant. Atqui illud ipsum suspectam hanc sententiam facere potuit, quod longe verisimilius est, a modicis illis facultatibus, quas memorat Plinius ad divitias Nostrum (quarum meminit Juvenalis) ascendisse, quam vice versa illum a divitiis ad modicas facultates recidisse. Ita certe quum nullo prorsus insigni infortunio notatum observarunt veteres.

XXXVIII[1]. Sed miri sunt in hac universa causa tam recentiorum quam etiam veterum errores: Paridem illum seniorem intelligunt vitæ Juvenalis auctor anonymus, et vetus ille quem habemus Juvenalis interpres, Claudii nimirum Neronis libertum a patrono ipso, ut testantur Dio[2] et Suetonius[3], interfectum. Proinde ad Neroniana tempora illa refert scholiastes, in quibus Paridis mentionem fecit Juvenalis. Ita Domitiani tempora

1. Ne veterum quidem hic hallucinantium testimonia satis ipsa sibi consentiunt.

2. Dio. L.

3. Suetonius Tranquillus in vita Neron.

perstringere Juvenalis non potuerit, qui paulo post exsilium obierit, quod tamen, vel ex ipso Satirarum opere, constat esse falsissimum. Atqui juniorem illum fuisse Paridem a Domitiano cæsum, quem perstrinxit Juvenalis, vel inde constat, quod Statium poetam dicat, post recitatam cum laude Thebaidem, Agaven suam tragœdiam Paridi illi vendidisse. Hic sane Statius ab eo quem habemus, alius esse non potuit. Ediderat ille Thebaidem suam paulo antea quam primum ederet Sylvarum librum: probatam nimirum antea recitationibus. Ita post initium Domitiani, et tamen ante Paridis cædem, et repudium Domitiæ Agaven vendiderit oportet Statius. Adeo præterea certum est, post cædem Domitiani Satiras scripsisse Juvenalem, ut mirum sit profecto monitos a Lipsio [1], et Salmasio [2] de eo amplius dubitare posse viros eruditos. Non repeto hic argumenta jam ab illis olim observata. Novum addo quod illos fugerat, sed vero longe certissimum. Marium [3] ille Priscum dicit nuper Afros discinxisse, proinde exsulem factum damnatum repetundarum: sic tamen ut diis ipse iratis frueretur, provincia autem victrix ploraret. Hanc ipsam Afrorum causam coram Trajano 3° consule [4] Plinius egit mense januario anni C. Et quidem eo eventu ut rapta fisco addicerentur, quæ causa erat provinciæ plorandi, reliquis ipse in exsilio frueretur. Sunt et illa Juvenalis de Domitiano verba:

> Quum jam semianimum laceraret Flavius orbem
> Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni, etc. [5]

1. Lips. Epist. Quæst. lib. IV, ep. 20.
2. Salmas. in Solin. Polyhist.
3. Juvenalis satira I, versu 47, 48, 49, 50; satira VIII, versu 120.
4. Plin. Paneg. c. 76; et lib. II, ep. 11, 12.
5. Juven. sat. IV, vs. 37, 38.

Hæc verba ad exsilium poetæ retulit vetus scholiastes: « Propter quod, inquit, sub specie honoris relegatus « est ad cohortis curam in Ægypto, Hoasa, ubi mor- « tuus est. » Sed mitius fingitur Domitiani, quam fuit, ingenium, quum verba illa exsilio expiata credunt, et quidem tali exsilio quod speciem haberet honoris, quod præfectura potius quam exsilium appellaretur. Fuit quidem Juvenalis in exsilio, etiam in Ægypto, ut e satyra ejus colligitur 15 : non tamen certe sub Domitiano. Immo Juvenalem in ipsa Subura memorat [1] Martialis, anno postquam in patriam rediisset (quod Trajani 3° consulatu factum) ad minimum III, æræ nostræ christianæ CIII, post cædem Domitiani VIII, quum tamen tædio et angore (exsilii scilicet) mortuum testetur vitæ auctor anonymus. Nunquam redierit oportet qui tædio exsilii et angore sit mortuus. Fieri tamen vix potuit quin redierit, Nerva exsules revocante, qui a Domitiano fuisset relegatus, si quidem Domitiano fuisset superstes: præsertim ille qui per speciem honoris exsulaverat. Ita pugnant omnia quo minus vera esse possit recepta illa sententia.

XXXIX [2]. Sed vero a Sidonii illo testimonio pendent recepti illi errores irati histrionis exsulem Juvenalem appellantis. Addit præterea manifestum, ut putat, Suidæ auctorisque veteris qui vitam Juvenalis conscripsit, Cl. Rychius. Atqui non idem dicunt illi, ut mox videbimus, quod putat ille dicere Sidonium. Ego potius vicissim ex illis explicandum existimo Sidonium. Sic autem se rem illam totam habuisse censeo. Exsul erat, uti jam dixi, Juvenalis quum satiram scriberet XV. Hoc

1. Martial. lib. XII, ep. 18.

2. Missus est Juvenalis in exsilium ab Hadriano. Et quidem anno æræ Christianæ CXVIII.

confirmat etiam in v. 27 scholiastes : « De se, inquit, « Juvenalis dicit, quia in Ægypto militem tenuit, et ea « promittit se relaturum quæ ipse vidit. » Proinde rixæ illi ipse affuit, quam describit inter Ombitas et Tentyritas. Tempus autem ipse designavit rixæ illius, quum et nuper illam contigisse dicit, et quidem consule Junio[1]. Scio quidem Vincum nonnullos, Juncum alios in loco illo legere. Id quoque scio in inscriptionibus, non tamen horum temporum, occurrere Æmilium Juncum. Sed, quicunque demum is fuerit consul, ordinarium certe fuisse verisimillimum est. Designatis enim consulibus res extra Italiam gestas signare non solebant, teste Dione[2]. Juncum autem aut Vincum nullum prorsus agnoscunt horum temporum Fasti inter consules ordinarios. Rectius ergo Junium reponunt codices et fide pariter et numero potiores, ne quidem metri ratione refragante, ut jam olim observavit Salmasius. Et quidem Junium duplicem habent Fasti coævi Juvenali, alium Domitiani in X consulatu collegam Appium Junium Sabinum, anno Domini LXXXIV, alium Hadriani in suo itidem consulatu III, collegam Q. Junium Rusticum. Quo minus prior intelligi possit, obstant illa omnia quæ in his ipsis Satiris occurrunt Domitiani temporibus recentiora. Posteriorem ergo intellexerit oportet anno æræ receptæ CXIX. Hoc ergo anno erat in exsilio Juvenalis testis earum, quas deridet, rixarum. Sed vero Roma illum ejicere non potuit Trajanus, qui ab anno usque CXII, Romæ ipse non affuit, nec etiam ante annum CXVIII, quo Romam venit imperator, Hadrianus. Romæ enim nata est exsilii occasio, quod Romæ Satiras recitaverit, quod Romæ secun-

1. Juv. sat. XV, v. 27. 2. Dio, L.

dis omnium suffragiis exceptus fuerit, quod Romæ princeps ille, quicunque fuerit, ingeniis faverit, præfecturisque poetas remunerari solitus fuerit, et quidem interpellantibus (qui Paridis in loco videri possent) seu amicis, seu libertis. Inde enim factum, ut quæ in Paridis olim defuncti opprobrium scripsisset Juvenalis, ea princeps in suam amicorumve aut etiam temporum suorum contumeliam acceperit. Inde nimirum, ut levi atque joculari delicto, ut observavit vitæ auctor, par etiam pœna decerneretur. Semestres Paridis militias, tribunatus scilicet, poetis venditas exprobrat [1] Juvenalis: ita nimirum ut præfectos Pelopeia, tribunos Philomela fecerit. Proinde ipse cohortis præfectura donatus est, quasi Satirarum præmio. Plane hoc pro indole Hadriani satis joculari, et pœnæ loco, et in speciem honoris. Objectat ille venalia illa poemata emptorum nomine edita, captatosque adeo ab illis alienorum operum honores. Nescio an proinde ingenii sui fœtus sub libertorum nomine ediderit Hadrianus (hoc enim de eo testatur Spartianus [2]) quo se adeo alienum ostenderet a convicio illo captandi debitos alienis operibus honores, ut contra sua alienis nominibus supposuerit, et quidem, qualis Paris fuerat, libertorum. Itaque et Romæ fuerit oportet, et suæ indolis experimenta dederit in litteratos munificentissimæ, quum Juvenalis illa in se dicta suspicari posset Hadrianus. Sic ante anni CXVIII finem, aut CXIX initium, mitti vix potuit in exsilium Juvenalis. Erat autem, quum relegaretur, octogenarius. Proinde natus fuerit vel anni XXXVIII fine, vel XXXIX initio. Inde reliqua Juvenalis tempora erunt arcessenda.

1. Juvenal. sat. VII, vs. 88, 89, 92. 2. Spartian. Adrian.

XL[1]. Ait vitæ auctor, ad mediam fere ætatem declamasse, animi magis causa, quam quod scholæ aut foro præpararet. Suffragatur et ipse, quum ait se « consilium « dedisse Syllæ, privatus ut altum dormiret. » Plane declamatorium illud erat argumentum. Inde facundiæ nomine illum celebrat Martialis. Recte nimirum ille, satisque, pro temporum ratione, congrue. Media enim ætas Juvenalis incurret in annum, pro nostris hisce calculis, LXXVIII vel LXXIX, multis antea annis quam scriberet illa Martialis. Sed nulla adhuc memoratur ejus celebritas a re poetica, ne a Quintiliano quidem ubi agit de scriptoribus satirarum. Non equidem, ut suspicatur Rigaltius, quasi illum læsisset hoc ipso satirarum opere Juvenalis. Tantum abest ut id moleste ferre posset Noster, ut sane contra nuspiam illius, nisi cum honore, meminerit. Sed monet Noster lectorem aliquoties se dedita opera a nominibus[2] viventium abstinere. Et multis postea annis scripsit Juvenalis illas, quas habemus, satiras. Addit enim vitæ auctor, posteaquam declamationibus inclaruisset: « Deinde paucorum ver- « suum satira non absurde composita in Paridem pan- « tomimum, poetamque Claudii Neronis, ejus semestri- « bus militiolis tumentem, genus scripturæ industriose « excoluit. » Proinde unicam illam fuisse paucorumque versuum satiram innuit, quam primum scripsit Juvenalis: eam quum non absurde compositam ipse judicasset, inde animos sumpsisse ad genus scripturæ industriose excolendum. Mansit tamen intra privata auctoris scrinia prima ejus illa in hoc genere scribendi exercitatio. Adeo

1. Eodem illo anno æræ nostræ christianæ CXVIII, postea quam Romam venisset Hadrianus, satiras omnes scripsit, recitavit, ediditque Juvenalis.

2. Quint. lib. III, c. 1; lib. X, c. 1.

nimirum ab eo nondum edita, ut ne amicorum quidem auditoriis recitanda crederetur. Sic enim subjungit auctor: « Et tamen diu ne modico quidem auditorio quid-« quam committere est ausus. » Id quod etiam primis primæ satiræ verbis satis aperte significat ipse Juvenalis. Nec enim alio spectare videntur illa in quibus queritur tamdiu, se fuisse poetarum recitantium auditorem; « semper clamasse Frontonis platanos, et convulsa marmora, ruptasque assiduo lectore columnas; » quum ipse scilicet nondum in eo scripti genere aliorum patientiam exercuisset. Tam longe aberant illa à Paridis ira concitanda, si vel superstite Paride fuissent scripta, eum irritare non possent, quum nondum emanassent in publicum. Nec tamen verisimile est ante cædem Paridis vel illam paucorum versuum satiram scripsisse Juvenalem. Nihil fateor, de scriptionis tempore accuratum tradidit, quem unicum habemus de his rebus testem, vitæ auctor anonymus. Id unum indicat, post mediam ætatem ad illa Juvenalem studia deflexisse. Sed nihil plane de studiis ejus poeticis poeta Martialis[1]. Is tamen se ita Juvenali familiarem fuisse gloriatur, ut non magis Pyladi amicus fuerit Orestes, aut Theseus Pirithoo, ne vel arcana Juvenalis studia Martialem latuisse suspicemur. Immo[2] a mortuis ille prudenter abstinendum esse censet. Tantum abest ut vivum Paridem, vel in prima illa satira laceraret. Juniorum ergo auctorum ista sunt tantummodo ratiocinia, non autem e veterum monimentorum coæva fide deprompta testimonia. Quum vero genus scripturæ industriose excoleret, tum et reliquum satirarum corpus scripsit, inque illam, quam retinent hodieque, formam redegit, et ea quoque quæ

1. Martial. lib. VII, ep. 24. 2. Juvenal. satir. I.

prima fecerat novis scriptis infercivit. Sunt enim illa auctoris anonymi verba: « Mox magna frequentia ma-« gnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque « quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis. » Recitavit, ni fallor, omnia, emisitque in publicum, anno CXVIII postquam Romam venisset Hadrianus, quem ille principem a benevolo ejus in hæc studia animo in hac ipsa satira [1], in qua occurrunt verba illa de Paride, commendat. Inde, ni fallor, animos sumpsit scripta sua in publicum emittendi. Inde tantus ille recitantium numerus, de quo in prima satira, quum spes illa lucri appareret, ditante professores, uti vidimus, Hadriano. Omnes ergo satiras sub Hadriano editas existimamus, non postremas tantummodo, ut voluit Salmasius. Paratas enim ad editionem uno eodemque tempore fuisse vel illud arguit, quod bis illas terque recitaret. Non scilicet seorsim, sed unis continuisque recitationibus, quas quidem ante exsilium scripserat, universas. Quumque diu se a recitatione continuerit, proinde anni CXVIII fine, feriis fortasse, quas recitationibus plerumque dabant, vindemialibus, non autem æstivis recitavit. Ultimas satiras a XIII tum certe scriptas nota illa sexagesimi a Fonteii consulatu anni docet, etiam observante Salmasio. Ad Trajani etiam tempora exeuntia spectabant terræ motus illi quorum mentio occurrit in satira VI, v. 409, 410, observante Lipsio. Erat enim terræ motus ille anno, pro nostris calculis CXIV exeunte, pro receptis [2] autem CXV itidem exeunte. Et Frontonem illum cujus platani et marmora perpetuis poetarum recitationibus sonabant, ut nos docet Juvenalis ipso satiræ I initio, non alium existimo a cele-

1. Juvenal. satir. VII, v. 1. 2. Præl.

berrimo oratore M. Cornelio Frontone, Marci Luciique Antoninorum magistro, qui sub Hadriano præcipue et Pio et Marco floruit, ne ad tempora Hadriano antiquiora possit commode referri. Vidit illum certe audivitque sub Pio Gellius [1]. Consulatum autem sub discipulo gessit, ut videtur, Marco. Erant, fateor, alii quoque, illis temporibus, Frontones, ut observavit olim ad locum junioris Plinii Catanæus. In illis etiam Fronto Catius, sub Trajano, orator et ipse et senator Plinio ipsi coævus, et ab eo non [2] uno in loco memoratus. Illum grandævum admodum fuisse oportet, si Marci tempora attigerit, si Plinii tempore ætate fuerit senatoria. Eumdemque sane credidit Catanæus: nescio an recte. Sed temporum ratio, et favor in illum Hadriani, et par adeo illius in litteratos studium id efficiunt, ut non alium illum fuisse verisimillimum sit a Marci præceptore, de quo loquitur Juvenalis. Id tamen præcipue suadet, uti dixi, tantus ille recitantium numerus temporibus Hadriani convenientior quam Trajani. Trajano certe imperante Romam ita reliquit Martialis, ut in patriam discesserit, nec inde unquam postea redierit. Non alia, ut videtur, causa, quam quod lucri e studio poetices quærendi spes omnis deinceps penitus decollaverit. Proinde verisimilius existimo, qui anno CXVIII Hadrianum offenderit, missum proinde in exsilium initio anni CXIX. « Erat tum (inquit vitæ auctor) in deliciis « aulæ histrio, multique fautores ejus quotidie prove- « hebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem quasi « tempora figurate notasset. » Nempe illa in Paridem dicteria histrionem, in suum (cujus nomen non prodi-

1. Gell. Noct. Att. lib. XIII, 27; lib. XIX, 8, 10, 13.

2. Plin. lib. II, ep. 11; lib. IV, ep. 9; lib. VI, ep. 13.

dit auctor) histrionem dicta interpretabatur Hadrianus, et se magis in illo quam histrionem ipsum, in histrionis sui persona notatum, quod honores suos viris litteratis concessisset interpellante histrione. Ad principes enim ipsos pertinebant laudes illæ temporum, aut convicia. Idque frequentissime illis objectum, si quid personis vilioribus in reipublicæ administratione tribuissent. Servorum libertorumque gratia nihil fere contumeliosius. Sexto Pompeio hoc objectum legimus, et imperatori Claudio. Et multa istiusmodi exempla, si opus esset, adduci possent. Nec tamen libertorum dignitas minori erat in pretio quam histrionum. Inde Juvenali exsilii causa. Scripsit ergo in exsilio satiram XV et XVI, si tamen vere et illa Juvenalis fuerit, quod negatum à plerisque testatur vetus scholiastes. Sed quum nuper consulem Junium fuisse dicat, jam sane quum satiram illam scriberet XV, elapsum illum consulatum innuit. Is ergo quum consul fuerit anno CXIX, proinde ante annum ad minimum CXX, scribere illa non potuit Juvenalis. Nec vero postea scripsisse, exinde colligimus, quod intra brevissimum exsilii tempus angore ille et tædio perierit.

XLI[1]. Constitutis ergo illum in modum Juvenalis temporibus, jam etiam intelligimus quomodo supremi hi Quintiliani honores sint etiam constituendi. Vidimus enim certe Hadriano antiquiores esse ne potuisse quidem, quos ipse decreverit Hadrianus. Et vero primo illius in urbem adventu decretos fuisse verisimillimum est, qui in ipsum illum annum incidit, quem dixi, CXVIII. Tum enim illum multa fecisse ad populi captandam benevolentiam, testantur historici, testantur

1. Quintilianus eodem anno CXVIII, quum primum Romam veniret Hadrianus, honoratus ab eo ornamentis consularibus.

etiam coævi numi : sic etiam ejus auctor Trajanus ipse, ut e Plinii constat panegyrico. Nec vero quidquam ad famam conciliandam, cujus ille erat avidissimus, efficacius esse potuit quam si litteratorum benevolentiam demereretur. Nec ulli etiam litterati facilius in oculos ejus incurrebant, qui aliis exemplo esse possent, quam professores ; nec ulli etiam professores quam urbani illi et publicis nutriti stipendiis, quo fuerat noster in numero Quintilianus. Ita certe proclive erat cogitare principi, qualis erat Hadrianus, ipsi litterato litterarumque studiosissimo. Et qui primus legitur e principibus Quintilianum nostrum honorasse, in eo quoque præivit Galba, quod mox ab ejus in urbem adventu scholæ illum præfecerit, et salario publico instruxerit. Hoc ergo exemplo, hoc etiam ipso tempore, quo imperium in urbe auspicatus est, honore Noster consulari ab Hadriano fuerit ornandus. Sic etiam meminit illius Juvenalis, quasi adhuc esset, quum illa commentaretur, in vivis. « Quintilianus (inquit) habet, etc. » Quasi nimirum jam haberet. Nec pugnabat cum operis consilio, si etiam vivorum mentionem faceret honorificam. Id solum in prima satira monuerat, non alios a se carpendos præterquam mortuos. Quis autem fuerit Clemens ille, qui Quintiliano ornamenta illa sub Hadriano impetraverit, me sane fateor ignorare. Erat tamen coævus Plinio Clemens alius ab utroque Domitiani consule, Atrius, et sub Trajano, sub quo illam epistolam scripsit [1] Plinius. Fieri potest ut hic fuerit Quintiliani amicus, ut erat coævus Plinius, eique hæc ornamenta consularia rogaverit, vel commonefecerit potius Hadrianum de Quintiliani olim in se meritis. Sed plus satis fortasse conjec-

1. Plin. lib. IV, ep. 2.

turarum, quibus tamen indulgendum est ubi desunt coæva, et fide digna monumenta. Ita Quintilianum ad annum æræ nostræ CXVIII affectum, ætatisque suæ LXXVI deduximus. Vixeritne ulterius, et quousque, in tanta veterum monumentorum clade affirmare nihil possumus. Vix tamen est, ut diu postea superstes fuerit, cujus nulla prorsus mentio occurrit in rebus Hadriani, nec in A. Gellii saltem præceptorum memoriis, nec in Ælii Veri fratrumve Augustorum præceptoribus, nec denique in amicis sophistis ipsius Hadriani gratia florentibus. Ne quidem ætas patitur ut vitam multo postea produxerit.

XLII[1]. Erat autem Quintilianus non ab oratoria duntaxat, sed (quæ laus omnium maxima erat) a vita etiam integritate celeberrimus. Oratorem ille neminem qui non idem vir bonus fuisset, agnoscit. Ne voluit quidem esse, si tamen posset. Opinionem certe viri boni ad fidem aliis faciendam necessariam esse contendit; nec tamen tueri posse viri boni opinionem diutinam, qui non intus bonus fuisset, et ex animo. Hoc ergo animo quum ad oratoriæ studium accederet; dedit proinde operam, ne quis, quod in oratore suo perfecto necessarium crediderat, in ipso desideraret. Ita certe loquitur Juvenalis[2], quasi Quintiliani nomine virum bonum intelligeret. Ita Martialis, quasi veniam ab eo peteret vitæ luxuriosæ, nec ad amussim virtutis exactæ. Sic enim ille:

> Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
> Da veniam[3].

Cur illud, quæso, nisi vultum ille tam gravis hominis, tamque severi censoris, extimesceret? Et felicem illum

1. Quintiliani vita innocentissima.

2. Juv. sat. VI, v. 77.

3. Martial. lib. II, ep. 90.

alio in loco Juvenalis[1], beatum prædicat (ut vidimus) Plinius[2] discipulus. Vidimus quidem illos ad divitias alludere facultatum Juvenalem, animi Plinium. Nec illud fugit, ad felicem prædictionum astrologicarum eventum spectare Horatium, quem hoc in loco imitatus est fortasse Juvenalis. Habuisse tamen ambo ob oculos videntur stoicorum paradoxum de veris sapientis divitiis, illumque adeo habere pro philosophorum sapiente. Ita certe Plinius, qui nec poetas cogitabat, nec astrologos: sed philosophiæ nomen profiteri noluit. In illo philosophos etiam improbavit Noster, quod alieniores essent a capessenda republica, cujus erat ipse studiosissimus. Unde ergo sapiens habendus, nisi propter mores honestissimos, et ad sapientiæ præcepta accuratos? Et quidem quanquam philosophi habitum admittere nollet, sententia tamen plerumque est locutus vixitque plane philosophica. Probat hoc in Socrate et Catone, quod nollent vulgi gratiam captare humilibus indignisque sua magnanimitate sermonibus, qui tamen erant in arte oratoria receptissimi. Socratem præcipue miratur, quod orationem Lysiæ pulcherrimam nollet tamen in concione adhibere, nec se eousque demittere, etiam quum de capite periclitaretur. Hæc ille pro philosophorum mente pariter ac sermone. Animum præterea nullius culpæ sibi conscium illa etiam arguunt, quibus carorum sibi uxoris liberorumque funera deflet atque atque lamentatur: «Nullam[3] terras despicere Providen-« tiam tester? si non meo casu, cui tamen nihil objici, « nisi quod vivam, potest, etc. » Nullum plane tale in

1. Juv. sat. VII, v. 190, 191, 192, 193.
2. Plin. lib. VI, ep. 32.
3. Quintilianus Institution. orat. lib. VI, procem. — Editionis notræ volum. II, pag. 385. Ed.

se delictum agnoscit, quod fuerit, pro sententia Gentilium, tam atroci supplicio luendum. Inde enim invidiam numinibus faciebant in luctu suo veteres, si qui præter meritum suum innocentes plecterentur. Inde curam numinum providentiamque in dubium vocabant. Nemesi enim invidiæque deorum imputabant mala illa quibus nullum esset, cur immitterentur, hominum, quod quidem sciri posset, peccatum. Promissorum certe et jurisjurandi fidem observatam arguunt, quod fidem illam sancire solerent diris in se familiamque suam imprecationibus, si fefellissent, a numine immittendis. Et dolum malum, etiam fide nec data nec sancita, diis obnoxium credebant. Hæc certe vitam Quintiliani innocenter actam ostendunt.

XLIII[1]. Candorem præterea illius in agnoscendis revocandisque erroribus testatum faciunt verba illius illa: « Ipse me paulum in alia quam prius habuerim « opinione, nunc esse confiteor. Et fortasse tutissimum « erat famæ modo studenti, nihil ex eo mutare quod « multis annis non sensissem modo, verum etiam ap« probassem. Sed non sustineo esse conscius mihi dis« simulanti, in eo præsertim opere, quod ad bonorum « juvenum aliquam utilitatem componimus, in ulla « parte judicii mei. » Hic conscientiæ suæ potiorem habuit, quam vel famæ, curam. Ita locus nullus erat gloriæ cupiditati qua bona Gentilium opera deprimit plerumque S. Augustinus, eoque duce, juniores etiam theologi. Utinam adeo cordatos haberemus multos christianos. Eamdem sapiunt modestiam quæ de se alibi dicit de inserendis singulorum, pro causæ exigentia, narrationibus. « Me certe (inquit) quantacumque nostris

1. Candor Quintiliani et modestia.

« experimentis habenda est fides, fecisse hoc in foro, « quoties ipsa desiderabat utilitas, probantibus et eru- « ditis, et iis qui judicabant, scio : et (quod non arro- « ganter dixerim, quia sunt plurimi quibuscum egi, qui « me refellere possent, si mentiar) fere ponendæ a me « causæ officium exigebatur. » Quam ille hæc exiliter de suis in re oratoria experimentis, tot scilicet annorum illis, tam in schola quam etiam in foro ! Nec sua tamen in verba adigit ipsos illos juvenes quorum fuerat studiis præfectus, quorumque gratia has ipsas elucubravit, quas habemus, Institutiones. Aliorum fidem, aliorum judicium, appellat ; tam nempe adversariorum advocatorum, quam ipsorum judicum, ne vel juvenibus suis (quos hoc in opere alloquitur) arroganter quidpiam, aut pro imperio, videretur imponere. Illa porro, quum de Cicerone loquitur, quam demisse ! « Dissentire vix « audeo (inquit) a Cicerone. » Similem et illa spirant Quintiliani modestiam. In eamdem sententiam alibi : « De compositione non equidem post Marcum Tullium « scribere auderem (cui nescio an ulla pars operis hujus « sit magis elaborata), nisi et ejusdem ætatis homines « scriptis ad ipsum etiam litteris reprehendere id collo- « candi genus ausi fuissent, et post eum plures multa « ad eamdem pertinentia memoriæ tradidissent. » Quam etiam et illa non elate, sed cum summa Ciceronis majorumque reverentia conjuncta !

XLIV[1]. Idem a morum vitiis, etiam in sermone, purissimus est. Suo quem instituit formatque oratori viro optimo ne loqui illa quidem concedit, quæ viro gravi indigna essent atque indecora. Scurrilitatem ille

1. Etiam in sermone (quod rarum illo seculo), bonis moribus adversa improbat scurrilitatem, maledicentiam, obscœnitatem.

atque maledicentiam aversatur prohibetque. Ab eo abest quam longissime ut obscœnitatem aliquatenus probet. Eum tamen majores illo junioresque probavere Gentiles. Tuetur ipse Cicero, tuentur etiam a coævorum Quintiliano virorum maximorum sanctissimorumque exemplis discipulus Quintiliani Plinius, et Plinio paulo junior Apuleius. Non dico jam peccantissimum in hoc sermonis vitio Juvenalem, quamvis et ipsum nescio quem philosophiæ honorem præ se ferentem. Hinc sane intelligimus quam revereri illum atque erubescere et veniam rogare oportuerit Martialem. Ait ille[1] quidem lascivam sibi esse paginam, at vitam tamen bonam. Plane tamen metuebat ne de eo fidem nostro facturus esset Quintiliano: idque jure merito. Sic enim ille de veteri poeta Afranio: « Utinamque[2] non inquinasset argumenta fœdis puerorum amoribus, mores suos fassus. » Urbanitatem ille quamdam dicacitatemque in suo patitur oratore: sed talem illam quæ a scurræ mimique persona aliena esset, quæ virum gravem constantemque minime dedeceret, nec dicentis auctoritatem aliquatenus imminueret. « [3]Oratori minime convenit distortus (inquit) vultus, gestusque, quæ in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrilis et scenica huic personæ alienissima est. » Iterum « [4]Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem salse quoties potuerit, et dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. » In eamdem sententiam paulo antea: « [5]Ludere nunquam velimus, longeque

1. Mart. lib. I, ep. 4.
2. Quintil. Institution. Orator. lib. X, cap. 1.
3. Quint. Inst. lib. VI, cap. 3, 4.
4. Ibid.
5. Ibid.

« absit propositum illud, potius amicum, quam dictum, « perdendi. » Sic enim libentius legerim quam, ut vulgo legitur, perdidi. Et paulo postea: « [1] Ea quæ dicit vir « bonus, omnia salva dignitate ac verecundia decent. « Nimium enim risus pretium est, si probitatis impen- « dio constat. » Quam illa ad mentem ἐντραπελίαν prohibentis apostoli [2]? Nisi quod sanctitatis ea est apud apostolum dignitas, cui parum decoram illam censet urbanitatem, quæ apud Quintilianum viri boni gravitas est atque verecundia. Idem Noster alibi de jocis ita: « [3] Id tamen in Declamationibus est notabilius, lau- « darique, me puero, solebat. » Incidit, pro nostris rationibus, pueritia illa Quintiliani, qua Declamationibus in scholis rhetorum operam dabat, in finem Claudii, et initium Neronis. Illo autem tempore melius audivisse dicacitatem illam e Senecæ fratrisque Junii Gallionis in Claudium satiris intelligimus, et Domitii Afri de illo argumento libris. Erant enim illi certe tunc temporis in foro oratores omnium celeberrimi. Immodica tamen jocandi licentia Junius Bassus, illa ipsa nostri pueritia, Asinus albus cognominatus est. Ita factum ut deinceps minus fortasse probaretur. Inde discimus quam opportune dicacitatem prohibuerit, Quintiliano puero, noster Apostolus: ille [4] nimirum qui ea omnia præcipiebat ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα ἔυφημα, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος. Ad receptas enim hominum opiniones voces illæ pleræque referendæ sunt, et ad receptam adeo viri gravis honestique dignitatem. Discimus præterea quam fuerit, supra vulgus oratorum, gravis et severus ipse Quintilianus.

1. Quint. Inst. lib. VI, cap. 3, 4.
2. Eph. V, 4.
3. Quint. Inst. lib. VIII, cap. 3.
4. Philip. IV, 8.

XLV[1]. Sed vero colores Quintiliano nostro convicii loco Juvenalem putat objicere Rigaltius. Quasi nimirum artem ille profiteretur struendi et destruendi versutia ancipitem, atque excusandis sceleribus utilem et idoneam. Proinde illum putat, quum auctores satirarum recenseret, laudato Persii libro, Juvenalem prætermisisse. Sequelam illam falsissimam esse abunde jam, ni fallimur, evicimus. Jam enim ostendimus, quum scriberet Quintilianus, nondum satiras vel cogitasse Juvenalem. Ostendimus etiam dedita opera illum a nominibus viventium abstinere : ita nimirum ut ne Turnum quidem nomine designarit, quem in eo ipso argumento celebrem, et quidem illo ipso, sub quo scripsit Noster, Domitiano imperante, e Juvenalis ipsius vetere scholiaste scimus atque Martiali. Idem[2] scholiastes addit præterea Lenium et Silium, omnes ex Aurunca, quos adeo potuerit Auruncæ alumnos appellare Juvenalis pariter ac Lucilium. Et sane plures fuisse coævos in hoc poesis stylo celebres, quamquam tacitis nominibus, docet ipse Quintilianus : « [3]Sunt clari (inquit) hodieque, et qui olim nominabuntur. » Quod vero Persium etiam de nomine designarit, quod jam olim in vivis esse desiisset. Sed nec illud convicium erat quod Quintilianum a coloribus laudarit, sed potius elogium. Nec enim adeo Quintilianum hic perstringit Juvenalis ipsum, quam Quintiliani nomine rhetorem quemvis : illa nimirum causa, quod esset Noster, quum scriberet poeta, in sua facultate insignissimus. Si illum intellexit vetus scholiastes. « Quintilianus, ait, orator egregius. Dic, ora-

1. Ne quidem colores adhiberi voluit nisi bonis, honestisque de causis.

2. Schol. ad sat. I, v. 20.

3. Quintil. Institution. Orator. lib. X, cap. 1.

« tor, colorem ad defensionem hujus causæ. » Nec sane fuit Quintilianus colorum inventor. A Græcis illi, ut alia pleraque artium liberalium ad Latinos emanaverant. Colores etiam e Latinis memorat aliquoties [1] Seneca pater. Immo Othonis Junii librum carpit de hoc ipso argumento. Sed nec ipse magis sceleribus excusandis colores adhibuit quam coævi alii sui temporis oratores. Non potuit certe scelerum excusandorum causam ex professo agere vir ille quem informat [2] optimus, et a sceleribus abhorrentissimus. Ars illa defensionum ut affuisset, non potuit tamen adesse animus. Tam ille malos a justis legum pœnis eripere nolebat, quam nec justos sub legum prætextu calumniari et opprimere. Occurrunt tamen in reis alioqui bonis aliquoties causæ excusandæ potius quam defendendæ, quum scilicet vir alioqui non malus peccat imprudens, et bono etiam animo. Hic certe artem illam colorum atque excusationum callere oportebat illum, quem instituebat Noster, bonum peritumque oratorem. Sed et ipse judex aliquoties in causa est cur colores adhibendi sint, affectibus deditus, et malis apparentibusque rerum fucis magis quam veris solidisque rationibus obnoxius. Hic certe artibus viro tamen bono et ingenuo dignis est fallendus, ut vel æquum ab illo obtineas. Hic coloribus minus in speciem honestis, et fallacibus circumveniendus est; eo tamen fine ut honestum ab eo et verum extorqueas. Ita nimirum ut mendacium interim nullum, aut quid aliud a viri boni officio alienum orator ipse dicat aut admittat. Immo in hoc sita erat ars illa oratoris ho-

1. Controvers. III, lib. III; Controvers. XXI; Controvers. XXV, lib. IV; præfat. libri V, Controvers. XXXIII; Excerpta libri IV; Controvers. VIII.

2. Lib. I, Controv. III.

nesti, si pro captu auditorum, argumenta quibus bonos tamen honestosque fines assequeretur, accommodaret. Nec aliud erat, in coloribus suis adhibendis nostri Quintiliani consilium « [1] Honesta quidem (inquit) honestis «suadere facillimum est: si vero apud turpes recta ob- «tinere conabimur, ne videamur exprobrare diversam «vitæ sectam, cavendum est. Et animus deliberantis, «non ipsa honesti natura, quam ille non respicit, pro- «movendus: sed laude, vulgi opinione, et si parum «proficiet hæc vanitas, secutura ex his utilitate: ali- «quanto vero magis objiciendo aliquos, si diversa fece- «rint, metus. » Pergit deinde paucis interpositis: « Ali- «quando bonis quoque suadentur parum decora, dan- «tur parum bonis consilia, in quibus ipsorum, qui «consulunt, spectatur utilitas. » Sed magis fieri solere illa quam sibi probari, ostendit in sequentibus. « Nec «me (inquit) fallit quæ statim cogitatio subire possit «legentem: » HOC ERGO PRÆCIPIS? ET HOC FAS PUTAS? Quibus ita respondet: « Poterat me liberare M. Cicero, «qui ita scribit ad Brutum, propositis plurimis quæ «honeste suaderi Cæsari possent, simne bonus vir, si «hæc suadeam? » MINIME. Addit deinde post pauca: «NEC EGO QUIDQUAM FIERI TURPITER VELIM, verum in- «terim hæc vel ad scholarum exercitationes pertinere «credantur. Nam et INIQUORUM ratio noscenda est, ut «melius æqua tueamur. » Hinc sane constat ab eo non probari, si quis mala, quocunque demum prætextu, suaderet. Itaque sequentia ad aliam illam ejus rationem referenda sunt, qua iniquorum rationem noscendam esse dixerat, quo quis melius posset vel æqua tueri. Pergit ergo: « [2] Interim si quis bono inhonesta suadebit

1. Quint. Inst. lib. III, cap. 8. 2. Ibid.

« (alius quis nimirum ab eo quem hic informat bono « oratore) meminerit non suadere tanquam inhonesta; « ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad pira- « ticam, propter hoc ipsum quod turpis et crudelis sit, « impellunt: sed dandus illis deformibus COLOR, idque « etiam apud malos. Nec enim est quisquam tam malus, « ut malus videri velit. » Quid hic apertius quam malum omnem colorum usum a Quintiliani mente esse alienissimum? Constat præterea, quæ alibi de coloribus tradit Quintilianus [1], ea ad colorum artem, non autem ad malum artis usum, esse referenda. Vidit enim ille certe quantum pugnaret cum viri boni quem ille oratorem instituit, officiis usus ille colorum. Sic ergo alibi ipse sibi eadem objicit, quæ vult Rigaltius objecisse Juvenalem: « [2] Quid ergo tantum est artis in eloquentia? « Cur tu de COLORIBUS, et difficilium causarum defen- « sione, nonnihil etiam de confesso locutus es, nisi ali- « quando vis et facultas dicendi expugnat ipsam verita- « tem? Bonus enim vir non agit nisi bonas causas, eas « porro etiam sine doctrina satis per se tuetur veritas « ipsa. » Respondet ut antea: « Pertractare quo modo « aut pro falsis, aut etiam pro injustis aliquando dica- « tur, non esse inutile, vel propter hoc solum, ut de- « prehendamus, inquit, et refellamus; quemadmodum « remedia melius adhibebit, cui nota, quæ nocent, fue- « rint. » Tum etiam ostendit bono nonnunquam, nec viro bono indigno, consilio auferendam esse aliquando judici veritatem; eoque facere colorum illam artem. Videat lector, si libeat, quo pacto illa colligat. Nec enim longius evagandum est. Mihi satis est impræsentiarum malarum causarum, per quæsitos in speciem colores

1. Quint. Inst. lib. IV, cap. 2. 2. Quint. Inst. lib. XII, cap. 1.

defendendarum artem nunquam profiteri voluisse nostrum Quintilianum.

XLVI[1]. Unica tamen est in moribus ejus macula quam ego nec eluere, nec tueri volo, effusa nimirum illius in Domitianum tyrannum adulatio. Tanta quidem illa ut ne quidem hominis nomine dignum divinis ille tamen laudibus extollat. Quarti enim libri proœmio pro numine illum habet, et primo etiam loco invocandum censet. « Nunc omnes, inquit, in auxilium « Deos, ipsumque in primis, quo neque præsentius « aliud, neque studiis magis propitium numen est, in- « vocem. » Morum ille sanctissimum[2] censorem appellat, cujus in neptem Juliam flagitia, dum morum studium profiteretur, irridet Juvenalis. « [3] Quis, inquit, « caneret bella melius, quam qui sic gerit? » Quum ne bella quidem ab eo recte gesta compertum esset, post emptam pacem, emptosque de quibus triumphari posset captivos; post proditas machinas, fictasque Decebali nomine deditionis litteras. Virtutum nescio quem fulgorem in eo deprædicat, qua laus ejus in re poetica præstringeretur, quem tamen novit a sævitia, avaritia, libidine, infamissimum. Hæc ille post tot illa annorumque plurimorum experimenta, ne adhuc latere Domitiani vitia potuisse suspicemur. Hæc nos libentius in coævis Martiali, Statio, et viro cæteroqui maximo, sed tamen militari, ferremus Julio Frontino. Sed in viro bono, philosophiæque studioso; sed in animo erecto vereque generoso magis est profecto quod miremur tam projectam illam et servilem adulandi humilitatem. Licuit enim fortasse quem merito laudare non potuit,

1. Vix tamen defendenda ejus in Domitianum tyrannum adulatio.

2. Quint. Inst. lib. XII, cap. 1.

3. Quint. Inst. lib. X, cap. 1.

saltem tacere. Nescio tamen idne ipsi licuerit, si vellet esse salvus. « Reor quidem aliter quam invocato nu« mine maximi imperatoris NULLUM OPUSCULUM meum « cœpisse, » inquit Statius[1]. Hæc ille necessario fecerítne officio non constat, fateor: ita tamen se rem habuisse suspicor. Sic enim itidem coævus Statio Martialis[2] Domitianum ipsum compellat: « OMNES quidem « libelli mei, domine, quibus tu famam, id est, vitam « dedisti, tibi supplicant: et puto, propter hoc legun« tur. » Fieri ergo potest, ut viri celebres, nisi sui mentionem cum laude fecissent, hoc ægre fuerit laturus. Maxime vero hoc exspectare potuit a Quintiliano, qui et salarium publicum e fisco, et honestam missionem, et nepotes sororis instituendos in spem imperii ab ipso Domitiano accepisset. Fecit certe præter morem suum quum vivum illum a studio poetico laudaret, qui alios laudare non solet præterquam mortuos. Erat enim ingenio laudis avidissimo et suspicacissimo princeps, si quis alius, certe Domitianus. Utrisque enim, et colentibus eum, et non colentibus pariter succensebat: illis quod assentari, his quod negligere viderentur. Ipsa Dio[3]. Itaque ne negligere videretur, adulandum censuit noster Quintilianus. Sic alia ejus illustria facinora fœdo tandem adulationis vitio similiter dehonestavit pater A. Vitellii imperatoris L. Vitellius. Ita nulla sunt sine maculis hominum, præsertim ethnicorum, ornamenta.

XLVII[4]. Quantus vero fuerit, et quam diligens in sua arte oratoria observator, ipse nobis obiter ostendit.

1. Stat. sylv. IV, præf.
2. Mart. lib. VIII, præf.
3. Dio, lib. LXVIII.
4. Quintiliani nostri in Arte sua Oratoria insignis experientia, et memoria.

De movendis affectibus illa sunt ejus verba : « Sed mihi « in animo est, quæ latent penitus, ipsa hujus loci ape- « rire penetralia ; quæ quidem non aliquo tradente, sed « experimento meo, ac natura ipsa duce, accepi. » Itaque etiam observavit ipse quæ antea penitus latuerant, ipsa nimirum artis penetralia. Observaverat lugentes utique in recenti dolore disertissime quædam exclamare, et iram nonnunquam indoctis quoque eloquentiam facere ; hæc ideo facere quod illis inest vis mentis, et veritas ipsa morum. Inde colligit in iis quæ verisimilia esse volunt oratores, eorum qui vere patiuntur affectibus ipsis similes esse oportere, et a tali animo proficisci debere orationem, qualem facere judicem volet. Nec in vita modo communi, verum etiam in ludis, qui vitam illam imitantur, histrionicis, hoc idem observavit, quod fictio illa personæ alienæ faceret movendis veris affectibus. « Vidi ego sæpe histriones, in- « quit, atque comœdos, quum ex aliquo graviore actu « personam deposuissent, flentes adhuc egredi. Quod « si in alienis scriptis sola pronunciatio ita falsis accedit « affectibus ; quid nos, pergit, faciemus, qui illa cogi- « tare debemus, ut moveri periclitantium vice possi- « mus? » Tum post alia ita concludit : « Hæc dissimu- « landa mihi non fuerunt, quibus ipse, quantuscumque « sum, aut fui ; (nam pervenisse me ad aliquod nomen « ingenii credo) frequenter motus sum, ut me non la- « crymæ solum deprehenderint, sed pallor et vero simi- « lis dolor. » Hæc ille e propriis hausit experimentis. Quæ quam doctum illum artificem fecerint, docet alibi ubi agit de sententiarum figuris : « [1] Equidem quando- « que et in personas, ait, incidi tales, et in rem quo-

1. Quint. Inst. lib. IX, cap. 2.

« que, (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac « arte non posset. Ream tuebar, quæ subjecisse dicebatur marito testamentum, et dicebatur chirographum « marito exspirante heredibus dedisse: et verum erat. « Nam quia per leges institui uxor non poterat heres, « id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum « fideicommissum pervenirent. Et caput quidem tueri « facile erat, si hoc diceremus palam: sed peribat here- « ditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut judices illud « intelligerent factum, delatores non apprehenderent « ut dictum: et contigit utrumque. Quod non inseruis- « sem, veritus opinionem jactantiæ, nisi probare vo- « luissem, in foro quoque esse his figuris locum. » Idem alibi [1] suam in dispositione argumentorum artem experientia oriundam aliquoties memorat. Inde peritiam ejus, inde et prudentiam habemus exploratam. Nec inferior ei fuit memoria, accurata licet rerum dicendarum dispositione ac methodo, ut fatetur, adjuta. « [2] Sic enim contingit, inquit, ut etiam quæ ex tempore « videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: « quod MEÆ quoque memoriæ mediocritatem sequeba- « tur, si quando interventus aliquorum, qui hunc hono- « rem mererentur, iterare declamationis partem coegis- « set: nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt. » Ita instructus artem oratoriam ornandam suscepit excolendamque noster Quintilianus.

Hæc tamen obiter. Nec enim vitam Quintiliani nos, sed tempora ejus indaganda, censuimus.

1. Quint. Inst. lib. VII, cap. 1. 2. Lib. XI, cap. 2.

N. B. Multa deprehendimus in istis Annalibus contra vulgatarum Editionum fidem, et sæpe etiam, ut videtur, sine idoneo sensu citari; a quibus tamen emendandis manum abstinemus, ut Dodwellii labor legentium oculis totus repræsentetur. Ed.

ANNALIUM QUINTILIANEORUM

SYNOPSIS

CHRONOLOGICA;

OBITERQUE POETÆ ETIAM JUVENALIS,

RERUMQUE AD VITAM ILLIUS ATTINENTIUM.

	Anni vitæ.	Anni Ær. Christianæ.
	Juven.	
Natus Juvenalis poeta. Hoc certe anno, vel sequentis initio. §. 39.	1	38
Pater Neronis imp. Domitius prior Agrippinæ maritus mortuus, Nerone trimulo. Tum stuprata a fratre Caligula, hoc eodem anno. Postea relegata, nec ante annum sequentem a Claudio revocata. §. 8.		40
Natus Quintilianus, anno exeunte. §§. 4, 5, 6.	Quint.	
Inter ann. XLI et hunc annum cum uxore priori	1	42
Domitia vixit Crispus Passienus orator, et postea	6	
Agrippinam Neronis matrem uxorem duxit; ab ea tandem veneno sublatus. Posterius hoc matrimonium hoc ipso fortasse anno. Hæc Quintiliano puero, Inst. lib. X, c. 1. Ea viz. pueritia, quæ nec oratores audiret in foro, nec in schola rhetores. Nempe supra infantiam, et tamen infra annum majoris pueritiæ XII, §. 8.	7	48
Agrippina Claudio nupsit ipsis hujus anni kal. januariis. §. 8.	8	49
Togam sumit Quintilianus hoc anno virilem, anno ætatis XIV expleto. Inde etiam incipit ejusdem adolescentia, seu juventus. §§. 1, 2, 3, 4.	14	
Itaque ante hujus anni finem ea omnia contigerint	15	56

A. C.	A. vit.	
		oportet quæ, se puero, contigisse Quintilianus ipse testatur. « Nobis, inquit, pueris Junius (vel potius « fortasse Julius) Bassus, homo inprimis dicax, Asi- « nus albus vocabatur. » Inst. lib. VI, cap. 3. Proinde Domitia Passieni uxor sub Claudio vixerit, in quam Bassi jocum ipse memorat, p. 288. Vid. ann. 48. « No- « bis pueris insignes pro Voluseno Catulo, Domitii « Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii orationes fere- « bantur. » Inst. lib. X, c. 1. Sed quum unus horum Crispus fuerit Passienus, proinde ante finem anni 48 orationes illas fuisse oportet. Vide §. 8. De urbanitate in Declamationibus ait: « Laudarique me puero sole-
57	15 / 16	« bat. » Inst. lib. VIII, cap. 3. Vid. §. 44. Hoc anno Cossutianus Capito repetundarum postu- latus a Cilicibus, damnatusque. §. 6. « Nobis, inquit, « ADOLESCENTIBUS. » Quint. Inst. lib. VI, cap. 1. Hoc etiam eodem anno mortuus est Aufidius Bassus, post Senecæ ep. 30, sed ante ep. 91, in qua mentio est in- cendii Lugdunensis; et ante mortem Servilii Noniani.
58	16 / 17	Dialog. de Orat. c. 23, §. 7. Incendium Lugdunense post centum annos ex quo coloniam illam deduxerat L. Munatius Plancus. Senec.
59	17 / 18	ep. 91, quæ adeo ipsa etiam hoc anno scripta est. §. 7. Hoc anno exeunte mortuus est Domitius Afer, a Quintiliano auditus juvene. Quint. Inst. lib. X, c. 1, et ADOLESCENTULO. Quint. Inst. lib. IV, c. 7, §. 4. Eo- dem anno mortuus etiam Servilius Nonianus a Quin- tiliano auditus. Quint. lib. X Inst. c. 1. Ea nimirum ætate quæ oratoribus in foro audiendis addici solita est, ab anno XIV expleto ad XVII similiter expletum, §§. 1, 2, 3, 7. Natus etiam hoc anno Tacitus. §. 28. Hoc anno forte, Juvenali primam barbam metente, Romæ tonsor erat Crispinus. Juv. Sat. I, vs. 25, 27.
		Ante hujus anni finem ea contigisse puto, et post anni 56 similiter finem, quæ se JUVENE aut ADOLES- CENTE evenisse dicit Quintilianus. De Nicostrato athleta dicit: quem ADOLESCENTES senem vidimus. Inst.

A. vii. | A. C.

lib. II, c. 8. Meminere illius Nicostrati auctor Dialogi de Oratoribus, c. 10, et Pausanias in Eliacis. Rursus: « Memini JUVENIS ADMODUM inter Pomponium et Se- « necam etiam præfationibus esse tractatum, an *gra- « dus eliminat*, apud Accium in tragœdia dici opor- « tuisset? » Inst. lib. VIII, c. 3. Vid. §. 30. Est enim certe illa ADMODUM JUVENIS ætas eadem quæ ADMODUM ADOLESCENTIS, seu ADOLESCENTULI, adolescentiæ nimirum imberbis quæ barbatulæ opponitur, quæ ambitu prædicto continebatur. §§. 2, 3. Alibi: « Quorum « utrumque in iis est, quæ me JUVENE ubique cantari « solebant. » Inst. lib. VIII, c. 3. Iterum: « Atreus quem « nobis JUVENIBUS doctissimi senes acuta prima dicere « solebant. » Inst. lib. I, c. 5. Hoc tamen in loco quo juvenum nomen senibus opponitur, fieri potest ut ad annum usque ætatis XXXV juventus extendatur. Non item in illo: « Clarum auctorem JUVENIS audivi, « quum lecta e capite cujusdam ossa, sententiæ gra- « tia, tenenda matri dedisset, infelicissima fœmina, « nondum extulisti filium, et jam ossa legisti. » Inst. lib. VIII, c. 5. Denique: « Nobis, inquit, ADOLESCEN- « TIBUS seniores præcipiebant ne unquam jusjurandum « deferremus. » Inst. lib. V, c. 6. Hic adolescentes senioribus opponi videmus; sed illis præcipientibus. Ut facile intelligamus illos hic adolescentes intelligendos qui essent seniorum præceptis imbuendi, eosdem nimirum qui oratores sequebantur et grammaticos. Suntque sane senes illi in superiori etiam loco non alii quam grammatici, qui vocem *Atreus* docebant qua syllaba esset acuenda. Est tamen adolescendi significatio paulo arctior quam juvenescendi. Vid. §. 3. Ut tamen ultra annum hunc extendi possit Quintiliani illa adolescentia, nihilominus ultra annum æræ nostræ 61 extendenda non est, quo Romam reliquit, et in Hispaniam concessit. Erat enim, quum rediret, jam penitus adultus, anno nimirum æræ ejusdem 68 exeunte. Infra hos certe limites concludendi erunt,

A. C.	A. vit.	
		quos Romæ memorat a se auditos visosque præceptores. Nec enim reversus præceptores deinceps ullos audiit, sed ipse potius aliis adolescentibus præcipiebat. §. 9. Huc ergo referenda et loca etiam illa : « Eorum, « quos viderim, Domitius Afer et Julius Africanus, « longe præstantissimi. » Inst. lib. X, c. 1. Sic vidit ille Domitium, ut se audivisse testatus est eodem, quo Domitius, anno mortuum Servilium Nonianum. Iterum de Domitio ita : « Vidi ego longe omnium quos « mihi cognoscere contigit, summum oratorem, valde « senem, quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem. » Inst. lib. XII, c. 11. Ad eumdem modum de aliis : « In his etiam quos ipsi vidimus, « copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, « jucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam « Secundi. » Inst. lib. XII, c. 10. Hoc intervallo docuisse illos omnes existimo, non item esse mortuos. Nonnullos enim illorum nupera memoria recenset,
61	19	de qua ejus loquendi forma infra pluribus agemus.
	20	Galba in Hispaniam Tarraconensem (in qua patria Quintiliani Calagurris) missus a Nerone. Illum secutus Quintilianus artem suam oratoriam in patria profes-
68	26	sus est. §§. 9, 10, 11.
	27	Galba post octennium, cæso Nerone, sub hujus anni finem, novembri mense ineunte, Romam rediit, et cum eo Quintilianus. §. 11. Inde incipiunt XX anni quibus rhetoricam in schola publica, e salario publico, Romæ professus est. §§. 12, 13. Et quibus ora-
70	28	toriam etiam exercuit in foro. §. 16.
	29	Causa Apruniani a Quintiliano acta jam adhuc juvene, et juvenili cupiditate gloriæ emissa. Quint. Inst. lib. VII, c. 2. Vid. §. 17. Nata etiam hoc anno prior
75	33	Quintiliani uxor. §. 24.
	34	Plinius junior Quintilianum audit ADOLESCENTULUS, usque ad annum LXXVIII, §. 15. Tacitus etiam hoc eodem anno dialogo de Oratoribus adest, VI Vespasiani anno, ipse admodum juvenis, natus nimirum

	A. vit.	A. C.
annos XVI. Illi non Quintiliano, dialogus asseritur. §. 28.	34	
Pro regina Berenice apud ipsam egit Quintilianus. Inst. lib. IV, c. 1. Hoc scilicet anno vel sequentis initio. §. 18.	35	76
« Ad mediam fere ætatem declamavit » (inquit vitæ Juvenalis auctor anonymus) « animi magis causa, « quam quod scholæ aut foro præpararet. » Inde postea Martialis illum facundum appellat. §. 40.	36	
A Vespasiano in Britanniam missus Agricola. Transacta æstate Britannos vicit. Inde Titus IMP. XV, T. P. IX, COS. VII. §. 22.	37	78
Hujus anni initio natus Marcelli Victorii filius cujus meminit Quintilianus. Inst. Procem. et lib. IV, Procem. §. 27. Marcellus ipse Victorius, annis XXXIII major, et XXXV minor. ibid. Et Annal. Statian. §. 4. Nomen pueri Gallus Stat. lib. IV, Sylv. IV, v. 20.	38	79
Nupsit Quintiliano prior uxor annos nata duodecim. §. 21.	39	
Natus Quintiliano filius major anno matris suæ XIII. §. 21. Domitiano natus filius Cæsar divus a Domitia, cujus consecrati meminit Quintilianus. §. 24.	40	81
Nata Domitiano filia e Domitia. §. 24. Natus Quintiliano filius minor anno matris XIV. §. 21. App. Junio Sabino bellum primum Dacicum. §. 22.	41	82
Sabinus consularis a Dacis oppressus. Fine anni Domitiani de Dacis falsus triumphus. §. 22. Hoc adhuc Domitia in matrimonio Domitiani. §. 24.	42	83
Juventutem egreditur Domitianus. §. 23. Agones Capitolini a Domitiano instituti, in quibus laudes Jovis Capitolini perpetua sacri certaminis materia. Quint. Inst. lib. III, c. 7, §. 22. Britannia insula circumvecta ab Agricola VIII ejus in Britannia præfecturæ anno. Jam insulam esse constabat, quum scriberet Quintilianus. Inst. lib. VII, c. 3, §. 22.	43	84
Finis annorum XX quibus Romæ Quintilianus rhetoricam professus est. §§. 12, 13, 14, 15, 21. Tum	44	85
	45	86
	46	
	47	88

A. C. | A. vit.

scholæ abdicationem a Domitiano impetravit, simulque usum artis suæ Oratoriæ, etiam in foro. §. 16.

Hoc ambitu XX annorum quibus Romæ docuit oravitque causas Noster, ea omnia concludenda arbitror quæ ille ætate sua, suisque temporibus contigisse testatur. Ita nimirum ut suam ille ætatem censuerit et sua tempora, quum in schola celebraretur, et in foro. Palæmonem grammaticum ætate sua fuisse scribit, Inst. lib. I, c. 4. Eumdem nimirum Palæmonem, de quo Suetonius in libro de Grammaticis, virum ingenii jactantissimi. Fuit quidem Remmius ille Palæmon Vicentinus Quintiliano nostro ætate aliquanto major. Sic tamen ut ad illa, quæ dixi tempora pervenerit. Tiberium sub quo primum profiteri cœpit, et mox Claudium, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam, prædicasse testatur Suetonius. Proinde ad Claudii tempora illum pertigisse certum est. Et quidem sub Claudio anno ejus VIII, æræ nimirum receptæ XLVIII, ejus cum Antonino Liberali æmulationem in Eusebiano Chronico opponit Hieronymus. Adhuc illum ad tempora recentiora deducit Plinius, Nat. Hist. XIV, 4. Ait illum infra XX annos mercatum rus in agro Nomentano, quod infra VIII cultus annum ad vix credibile feracitatis miraculum perduxerit, intra X autem fere curæ annum Annæo Senecæ principi tum eruditionis ac potentiæ, immani pretio vendiderit. Si quidem ab anno quo illa Plinius commentatus est æræ receptæ LXXVII retro supputentur anni illi, sic anno æræ ejusdem LVII rus illud mercatus fuerit Palæmon, et anno LXVII Senecæ vendiderit. Fieri hoc non potuit, quum anno LXV inter aprilis 19 quo conjuratio in Neronem processura erat, et mensis ejusdem diem XXX quo sublatus est poeta Lucanus, Seneca sese, jussu Neronis, interfecerit. Itaque numero rotundiori usus est Plinius. Sic tamen X ille annus anno Senecæ ultimo conveniet, quo vindemiam ipse videre non potuit,

A. vit. | A. C.

ut proinde fere X ille annus a Plinio supputetur. Hoc ergo anno salvus adhuc erat Palæmon. Inviso enim et ostentaturo palmam illam peritiæ rusticæ Senecam testatur tradidisse Plinius. Nec eousque modo perseveravit ille. Nihil sane innuit Plinius quo vel, quum scriberet ille, jam saltem obiisse colligamus. Nisi forte liberior illa, quam in vivum, ostentationis censura faciat ut illum anno LXXVII jam defunctum suspicemur. Atqui eodem quo Quintilianus tempore studiis juventutis romanæ præfuit, pueris etiam romanis præfuisse Palæmonem indicat Juvenalis. Inde factum ut, quo exemplo, Quintiliani nomen pro rhetore posuit Sat. VI, vs. 75, 279, sic etiam pro grammatico Palæmonis nomen posuerit, artemque adeo grammaticam ipsam Palæmonis artem appellarit Sat. VI, v. 451. Non equidem qua forma artem rhetoricam artem Theodori vocat Sat. VII, v. 177, quum multi fuerint ante Palæmonem, etiam apud Romanos, grammatici; immo Romæ grammaticam, quum ad scholam pueros quorum ipse pædagogus erat, comitaretur, Palæmon ipse didicerit, ut e Suetonii constat libro de Grammaticis. Plane itaque pro exemplo illo, quod dixi, Quintiliani. Proinde etiam, ut rhetoricæ Institutionis mercedes Quintiliano solutas docet Sat. VII, vs. 186, 187: sic etiam grammaticæ Institutionis mercedes idem solutas testatur fuisse Palæmoni, vs. 215, 216, 217, 218, 219, 220. Hæc ille eadem illa Satira qua Domitiani tempora, et in illis Paridem laceraverat. Vix sane ita illos conjuncturus nisi uno eodemque tempore alter scholam rhetorices, alter grammatices, fuisset moderatus. Et ne Juvenalem solum in ea fuisse sententia censeamus, similiter Palæmonem cum Quintiliano eodem Epigrammatum libro II, ep. 86, 90, quasi coævos committit, ipse etiam Quintiliano ipsi coævus Martialis. Et tamen Palæmonem magistrum Quintiliani nostri facit Juvenalis vetus scholiastes ad Sat. VI, v. 451: docuitque

æt. C. | a. vit.

sane illis ipsis temporibus quibus puer erat Noster, ætate illa quæ grammaticis credebatur, sub quem Claudii et initio Neronis. De eadem formula ita alibi Noster: « Et ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. » Inst. lib. III, c. 1. Plinius ille major est, quem hoc ipso spatio, quo scholam tenuit Quintilianus, exstinctum constat e nostris Plinii nepotis Annalibus, anno nimirum æræ vulg. LXXX. Estque satis commodus ille nominum ordo, ut qui Plinium præcedit rhetor ille Virginius, et qui sequitur Rutilius, ambo tamen in Quintiliani nostri vicennium inciderint. Idem alibi: « Quod factum nostris temporibus elusit « Vibius Crispus. » Inst. lib. V, c. 13. Quasi nimirum suo quoque vicennio causas egisset Crispus. Et tamen alio in loco visis a se (quum scilicet præceptores ipse juvenis audiret) eumdem Crispum accenset. Inst. lib. XII, c. 10. Denique eumdem inter clara nuper ingenia numerat. Lib. X, c. 1. Recte nimirum omnia, et, pro nostris hypothesibus, satis accurate. Florebat in foro Vibius ille Crispus illo præsertim tempore quo forum Noster, non actor ipse, sed auditor tantummodo, studiorumque causa, frequentabat. Sic tamen ille, ut in foro adhuc, quum reversus ex Hispania causas in foro oraret ipse Quintilianus, ageret Vibius Crispus. Hæc nos vera fuisse docet auctor dialogi de Oratoribus. Ait enim ibi M. Aper Vibium Crispum Marcellumque Eprium, donec libuit principes fori, tunc etiam principes fuisse in Cæsaris amicitia, anno nimirum illo Vespasiani VI, Christi LXXV. Sic ille c. 8: « Erat ergo Vibius Crispus adhuc in vivis, et forum tamen abdicaverat ». Mox etiam ostendemus, ad Domitiani tempora nuperamque Quintiliani, quum Institutiones scriberet, memoriam eumdem pervenisse Crispum. Hinc denique et illud intelligi potest, quod ait Noster: « *Duapondo* et *trepondo* usque ad nostram ætate tem ab omnibus dictum est. » Inst. lib. I, cap. 5. Id scilicet illum velle, ne quidem, quum ipse profi-

A. vit.	A. C.
	teretur, adhuc illas in desuetudinem abiisse formulas.
47	
48	89
	Mortua uxor Quintiliani, nondum expleto anno ætatis undevicesimo: itaque anni initio. Erat ætate puellari, si ad Quintiliani ætatem conferretur. Paucis postea mensibus mortuus filius minor V annum ætatis egressus, quum scribere pater esset aggressus de Causis corruptæ eloquentiæ. Hæc e Procem. Inst. lib. VI, §§. 14, 20, 28. Finem Argonauticis hoc eodem anno imposuit fortasse Valerius Flaccus. §. 25. Martialis Epigrammata edere cœpit VI anno ante annum XCV. Lib. IX, ep. 85, §. 14.
49	
50	91
	Julia Titi filia a Domitiano consecrata. Quint. Inst. lib. III, c. 7, §. 24.
50	
51	92
	Institutiones exorsus est Quintilianus. Hoc anno studiis filiorum sororis a Domitiano præfectus est quum libros tres priores operis absolvisset. Eodem affecto, vel potius exeunte, filium majorem amisit, quum librum V ad finem perduxisset. §§. 14, 19, 21. Filius Marcelli Victorii, in cujus usum Institutiones scripsit Quintilianus, annum egit jam ætatis suæ XI, et Marcellus ipse annum vel XXXI vel XXXII. §. 27. Hoc anno Quintilianus insignitus ornamentis consularibus, si quidem propter Domitiani nepotes a se institutos, et patre eorum Flavio Clemente impetrante, honorem illum consecutus esset. §. 34.
51	
52	93
	Secundus annus eorum quos Institutionibus concinnandis impendit. §. 21.
	Hoc anno ineunte Institutiones absolvit Quintilianus, quum paulo plus quam biennium illis impendisset. Ep. ejus ad Tryphonem Bibliopolam, §. 32. Postea philosophos expulit Urbe Domitianus. §. 14. Postea etiam Quintilianus aliam uxorem duxit Tutilii filiam. §. 32.
52	
53	94
	Hoc denique ambitu inter finem anni, quo scholam abdicavit, LXXXVIII, et hujus anni initium, ea omnia concludo quæ ipse nuper evenisse dicit. «Multum,

J. C. | A. vit.

« ait, in Valerio Flacco nuper amisimus. » Inst. lib. X, c. 1. Mortuo nimirum, ut jam conjecturam fecimus, postquam utrumque tam docendi quam orandi munus Quintilianus abdicaverat. Ita de Cæsio Basso poeta, quem NUPER, inquit, vidimus: « Eum longe « præcedunt ingenia viventium. » Inst. lib. X, cap. 1. Sic illum viventibus opponit quasi de illorum numero NUPER esse desiisset. Et alio in loco: « Erant clara et « NUPER ingenia: Trachalus, Vibius Crispus, Julius « Secundus. » Inst. lib. X, c. 1. Tres hic recenseri videmus conjungique invicem a Quintiliano nuperæ memoriæ oratores. An forte propter temporis, quo decesserant, vicinitatem? Tres certe similiter conjunxit Martialis rhetoras qui uno eodemque anno perierunt. Lib. II, ep. 64. Suspicabar eosdem utrobique intelligendos: nec id, ut videbatur, absurde. Ita periissent eodem anno, quo erat in schola Quintilianus, cujus hoc eodem libro meminerat, et quidem epigrammate posteriori 90. Sed nec ordinem temporis in ejusdem libri Epigrammatibus disponendis observavit Martialis; nec uno saltem eodemque anno scripta sunt quæ in prioribus libellis continentur; et post scholam certe Quintiliani depositam vel primum librum collegit ediditque Martialis. Est tamen præterea cur dubitemus iidemne sint cum Quintilianeis, Martialis illi rhetores. Facit ut dubitemus vox ipsa rhetorum quos causidicis, id est, oratoribus opponit Martialis. Immo ita opponit, ut rhetoribus illis scholas fuisse innuat in quas succedere posset Taurus ille ad quem scribit, si vellet profiteri. Hi quantum a senatoribus discreparent, jam supra ostendimus, §. 30. Erant autem Quintilianei illi omnes, ni fallor, senatores. Prior ille Trachalus etiam consularis, si quidem idem cum Silii Italici collega anno LXVIII M. Galerio Trachalo. Bis etiam consularis Vibius Crispus, si quidem de illo intelligendus sit Crispo, de quo loquitur Juvenalis ipse, poetæ scholiastes. Sunt tamen fateor, quæ de

A. VII. | A. C.

auctoris sui Crispo tradit scholiastes, de Crispo Passieno veriora, quem sub Claudio sublatum probavimus, quam de nostro Crispo Vibio. Idque ipsum de Passieno testatur, bis consulem fuisse Plinius, Nat. Hist. XVI, 44. Sed aliunde verisimile est, qui principibus adeo familiaris erat, ut e dialogo de Oratoribus, c. 8, constat, et Juvenali Sat. IV, v. 81, qui censu erat plusquam senatorio, teste dialogi auctore Tacito; qui concilio procerum Domitiani aderat, auctore Juvenali, v. 73, 144, 145, quod certe senatoribus constabat; quem jam olim in foro principem esse docuit ibidem Tacitus; illum profecto rhetorum numero, qui scholis præerant, esse ne quidem potuisse, quos eodem anno testatur decessisse Martialis. Nec alium denique fuisse puto Julium Secundum. Dum enim in dialogo illo Maternus Aprum nondum a scholasticis controversiis recessisse testatur, c. 14, recessisse Secundum videtur innuere. Alii itaque quærendi erunt rhetores, quos potuerit designare Martialis. Utcunque tamen ad hæc illos tempora vixisse verisimile est; de Vibio certe Crispo certum est, ad Domitiani saltem tempora illum pervenisse. Responsum ejus interroganti, « essetne quis intus cum Cæsare, » « ne musca quidem, » inter initia principatus Domitiani factum testatur Suetonius, Dom. c. 3. Postea aderat et in illo ridiculo de Rhombo concilio, quod traducit Juvenalis, sat. IV, v. 81. Nec enim alterius erat Crispi jucunda illa senectus, quam illius, cujus stylum a jucunditate celebrat aliquoties noster Quintilianus. Lib. V, c. 13; lib. XII, c. 11. Erat quidem concilium illud antea quam in Dacos mitteretur Fuscus: eo tamen tempore quo se jam metuendum præbuerat Domitianus: eo etiam quo e Britannia nuncii exspectabantur, vs. 126, 127; et a Cattis et Sicambris, v. 147: anno, ad minimum LXXXII. Initio enim imperii pacem fuisse docent numi. Et hoc demum anno titulos imperatorios multiplicare incepit. Sed quocunque demum tem-

A. C. | A. vit.

pore illud fuerit concilium, plures sane sub Domitiano vixisse annos ex illo ipso Juvenalis loco facile colligitur. Sic enim Crispum ad octogesima dicit pervenisse solstitia, ut multas hyemes transegerit illa quoque tutus in aula, vs. 92, 93. Sic potuit ille satis commode ad tempora illa vivere, quibus noster Quintilianus abdicavit. Sic tamen ille ut ante V operis librum sit mortuus, quum non soleat Noster aliorum mentionem facere, præterquam mortuorum. Julium Secundum æqualem suum fuisse dicit. Inst. lib. X, c. 3. Proinde tribus aut ad summum quatuor annis sese juniorem. Aliter simul pueri aut adolescentuli, eorumdemque studiorum socii esse non poterant. §. 28. Sic autem de illo loquitur quasi ante justam perfecti oratoris ætatem interceptus fuerit. Inst. lib. X, c. 1. Si maturitatem illam, pro modo Quintiliani ipsius æstimemus, qui munere decessit antequam deficeret, ætatis suæ anno XLVI, sic proximo ab abdicatione Quintiliani anno defunctus fuerit, aut non multo postea; antea nimirum quam ipse eamdem, quam in abdicatione sua Quintilianus, ætatem explevisset. Denique eadem forma Noster alibi: « Risimus, inquit, et merito « NUPER poetam, qui dixerat: Prætextam in cista mu« res rosere Camilli. » Inst. lib. VIII, c. 3. Quis ille poeta fuerit, jam melius judicabunt qui, quo tempore concludendus est, intelligent.

95 | 53 / 54 Postquam absolvisset Quintilianus Institutiones, unus accessit ad earumdem editionem. §. 20. Mense Julio jam togam virilem sumpserat filius Marcelli Victorii. §. 27. Marcellus ipse Victorius hoc anno infra annum ætatis XXXV, et supra XXXIII. §. 27. Nata Quintiliano filia Tutilii neptis. §. 32.

100 | 58 / 59 Marius Priscus damnatus repetundarum, memoratus a Juvenali. §. 38.

103 | 61 / 62 Juvenalis hoc anno Romæ, non in exsilio, teste Martiali. §. 38.

107 | 65 / 66 Filiæ Quintiliani jam ætate nubili, viz. anno-

A. vit.	A. C.	
72	114	rum XII dotem obtulit Plinius. §§. 29, 30, 31, 32.
73		Terræ motus Antiocheni meminit Juvenalis, sat. VI, vs. 409, 410, qui hoc anno contigit, pro nostris rationibus. §. 40.
76	118	
77		Romam venit hujus anni initio Hadrianus. Tum turba poetarum recitantium in M. Cornelii Frontonis platanis. §. 40. Tandem post illos recitat Satiras suas priores XIV Juvenalis. Inde illi exsilii occasio. Quum exsul esset, octogenarius erat. §§. 39, 40. Recitavit forte Juvenalis feriis vindemialibus. §. 40. QUINTILIANO, quum Romam veniret Hadrianus, data ornamenta consularia. §§. 36, 37, 38, 39, 40, 41.
77	119	
78		COS. JUNIO RUSTICO exsul in Ægypto Juvenalis. §. 39. Hujus anni initio in exsilium missus. §. 40.
78	120	
79		Scripsit in exsilio Juvenalis satiram XV, et (si ejus sit) etiam XVI. Eodem, ut videtur, anno mortuus. §. 40.

DE M. FABIO QUINTILIANO

NOTITIA LITTERARIA

EX

JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA

A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, LIB. II, CAP. XV.

Quintiliani ætas.

M. FABIUS QUINTILIANUS[1] ex Tarraconensis Hispaniæ oppido Calagurri, post Neronis necem adolescens admodum a Galba Romam perductus, postquam cum magna gloria in foro[2] versatus erat, rhetoricam docuit per annos

1. Ita in monumentis antiquis legitur, perinde ut Quintus, Quintius, Quintilis, etc. Prætuli vero vulgarem de patria Fabii sententiam, Radero etiam probatam ad Martialem, p. 239, licet auctori vitæ visus est fuisse Romanus. Sane Hieron. in Vigilantium, init.: « Iste caupo Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino. » Ausonius: « Asserat usque licet Fabium Calagurris alumnum. » Idem Hieron. et Cassiodorus in Chron.: « Quintilianus ex Hispania Calagurritanus, primus Romæ scholam publicam et salarium e fisco accepit. » Centum scilicet sestertiorum, ut e Suetonii Vespasiano, cap. 18, colligitur. Conf. Cresollii theatrum Rhetorum IV, 3, et de Quintiliano Nic. Antonium in Bibliotheca vetere Hispana, Bælii dictionarium editionis secundæ et clariss. Dodwelli Annales Quintilianeos, Oxon. 1698, 8. Alius Quintilianus (Nostri fortassis pater vel avus) de quo Seneca pater in controversiis.

2. Quintil. Institt. lib. II, c. 12: « Nos quando et præcipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, et in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem puta-

viginti[1], quibus elapsis, otio et quiete studiis suis circa a. C. 88 impetrata, sub Domitiano scripsit, qui sororis suæ nepotes ejus delegaverat curæ.

De vita Quintiliani præter Annales Henrici Dodwelli Quintilianeos ad calcem voluminis I edit. Burmannianæ et in Capperonniana editione recusos, scriptoresque alibi laudatos, consulendus Tillemontius Hist. Imperatorum, tom. II in Domitiano, cap. 22, et gallicus Quintiliani interpres Nic. *Gedoyn*, qui Romanum fuissè, nec a Galba demum a. C. 69 (ut tradit Hieronymus in Chron.) perductum Romam, sed Domitium Afrum jam a puero Romæ auditum observat, qui obiit anno C. 59. Salarium annuum, quod Quintilianus e fisco pro scholis rhetoricis accepit, fuit *centena sestertia*, quæ nostra pecunia tria millia scutatorum amplius æquant. Uxorem habuit Tutilii rhetoris filiam (v. Cl. Rhunkenii præf. ad Rutilii Lupi libellum de Figuris) unde suscepit filium, cujus decennis mortem deplorat in præf. lib. VI. Præter Quintilianum, patrem vel avum Nostri, cujus apud Senecam rhetorem mentio, alius fuit Julius Proculus Quintilianus, de quo Reinesius Epistolis ad Rupertum, p. 300. Alius Quintilianus, prætor Marcianopolitanorum, est apud Harduinum de numis urbium, p. 312, A. Κυιντιλιανοῦ Μαρκιανοπολιτῶν, et Quintilianus, prætor Pergamenorum et Ephesiorum in numo Commodi imp. apud eumdem Harduinum, p. 392: Ἐπὶ στρατηγοῦ Κυιντιλιανοῦ Περγαμηνῶν καὶ Ἐφεσίων. Alius denique Aristides Quintilianus, græcus scriptor, de cujus libris tribus de Musica, v. lib. III Biblioth. Græcæ, c. 10, §. 4. Quintiliani Martyres, de quibus Acta Sanctor. 4, 13, 16, april. Quintilianus, cui rescribunt Alexander et Severus atque Anto-

« bamus desinere, quum desidera- « remur. » Hinc *gloria Romanæ togæ* dicitur Martiali, II, 9.

1. Vide procem. libri I sub init. Ex discipulis Quintiliani illustribus fuere C. Cælius orator et Plinius junior, qui eum modicis facultatibus fuissè testatur ep. VI, 32. Præceptor Quintiliani *Palæmon* grammaticus, teste schol. Juven. VI, 451.

ninus, lib. VII codicis Justinianei, tit. 2, l. 5, et tit. 55, l. 1. Cæterum de rebus ad Quintilianum ejusque operis historiam pertinentibus adeant studiosi inprimis Gesneri præfationem ad editionem ejus Institut. Orat.

Libri XII Institutionum Oratoriarum.

Exstant ejus libri XII[1] de Oratoria Institutione, ad Marcellum[2] Victorium, amicum suum (s. ut Jo. Sarisb. Polycrat. VII, 14, appellat *de Institutione Oratoris*), quibus Epistola ad Tryphonem bibliopolam, qui editionem maturari postularat, præmittitur. Hoc opus Fabius in futuros usus filii sui paraverat: sed hic nondum dimidio absoluto, ut ante dictum, decennis obiit, quod incredibiliter dolet pater in præfatione ab librum sextum. Quintiliani Institutiones, sub Domitiano, quem laudat, scriptas[3], sed sub Trajano demum editas suspicatur Catanæus ad Plinii lib. II, epist. 1, quamquam verisimile est, mali principis laudes, præteritis veris boni principis laudibus, non manare in vulgus passurum Quintilianum, nisi adhuc vivi ac spirantis; a quo si non surrogatus T. Flavio Clementi a. C. 95 consul est, cujus filios instituerat, certe consularia ornamenta fuit consecutus, ut testatur Ausonius in panegyr. Incidit Domitiani mors in a. C. 96. De Tryphone, cujus mentio fit apud Martialem IV, 73, videnda Christiani Schœttgenii diatriba de librariis et bibliopolis veterum, Lipsiæ edita a. 1710. Titulos capitum a Quintiliano esse,

1. In Bibliotheca Gesneriana Simleri et in Bibl. curiosa Hallervordi perperam sedecim libri memorantur. Hos Fabii libros duodecim Hilarium, in opere de Trinitate, et stylo imitatum esse et numero, testatur Hieronymus epist. 84 ad Magnum oratorem, et ad Pammach. de optimo genere interpretandi.

2. Fallitur auctor vitæ, qui hunc Marcellum confundit cum filio Quintiliani; fortasse fuit pater Marcelli, ad quem silva Statii poetæ lib. IV. Vide Franciscum Bivarium ad Chronicon Lucio Dextro suppositum, p. 216.

3. Præf. lib. I et IV; et III, 7; et X, 1.

bene negat Burmannus, p. 14 Epistolæ ad Capperonnerium.

Hos libros primus e monasterio S. Galli eruit Poggius Florentinus, incredibili eruditorum, Leonardi præsertim Aretini, gaudio inventos. Poggius ipse narrat in epistola ad Guarinum Veronensem, data 16 dec. 1419, ex MS. Bibliothecæ Paulinæ integra primum edita a J. Gottl. Krausio[1].

Idem Poggius in dialogo de Infelicitate principum, de se loquens: « Suscepit hic olim diligentiam et laborem « peragrandæ Alemanniæ, librorum perquirendorum gra- « tia.... qua in re multum profuit latinis musis ejus in- « dustria. Nam octo Ciceronis Orationes, integrum Quin- « tilianum, Columellam, qui antea detruncati et deformes « apud nos erant, et item Lucretii partem, pluresque alios « latinæ linguæ auctores præclaros restituit nobis. » Franciscus Barbarus Venetus (non Guarinus Veronensis, qui in illa, p. 55, laudatur) in collaudatione ad Poggium, data Venet. 1417, 7 jul. « Tu Tertullianum, tu M. Fabium « Quintilianum, tu Q. Asconium Pedianum, tu Lucretium, « Silium Italicum, Marcellinum[2], tu Manilium Astrono- « mum, L. Septimium (Daretis interpretem), Valerium « Flaccum, tu Caprum, Eutychium, Probum, grammaticos, « tu complures alios Bartholomæo (de monte Politiano) « collega tuo, adjutore, vel fato functos vita donasti, vel

1. In *der umständlichen Bücher-Historie*, Lips. 1715, 8, parte 1, pag. 42. Partem illius Epistolæ Poggii dederat Mabillonius, p. 211 Itineris Italici, et Menagius I Anti-Bailleti, p. 46. Integram exhibet etiam Jacobus *Lenfant* ad calcem Poggianorum Amst. 1720, 8, p. 309. Vide item Poggii Opera, Basileæ edita, p. 272, 394; Menagiana, tom I, p. 97, et tom. IV, pag. 90; Julium Nigrum in Historia Scriptorum Florentinorum vulgata Italice, p. 473. — Vid. Poggii epistolam integram in nostræ edit. volum. septimo, pag. 1 sqq. Ed.

2. In Diario Veneto, *Giornale de' letterati d' Italia*, t. IX, p. 178. Nonius Marcellus etiam a Poggio repertus traditur: fortasse pro Ammiano Marcellino. Adde tom. X, pag. 417. Lectus Quintilianus et laudatus etiam a Francisco Petrarcha, lib. I, epistt. 6 et 7.

« longo, ut aiunt, postliminio in Latium reduxisti.... Majus « quoddam a te romanæ litteræ, quam adhuc præstiteris, « exspectant, quod in eam spem adductæ sunt, ad hoc « enim natus esse videris, ut per te Ciceronis de Rep. et « Varronis divinarum ac humanarum rerum, et Crispi et « Livii libros, et Catonis origines, ut cæteros omittam, « recepturi sint. » Leonardus Aretinus, lib. IV Epist. p. 160, ad Poggium : « Quintilianus tuus laboriosissime « emendatur, permulta enim sunt in nostro vetusto codice, « quæ reddenda tuo videantur. »

Codicem ipsum MS. Poggii, Constantiæ, sede apostolica vacante diebus 53 in Biblioth. S. Galli descriptum, exstare Londini in bibliotheca illustrissimi comitis Sunderlandiæ, notavit Gedoynus. Etiam apographum codicis Poggiani, ante ducentos annos exaratum, fuit in bibliotheca Nic. Heinsii, et ex illa venit in Colbertinam, ibique asservatur n. 1217. Omitto aliud, quod fuit in bibliotheca Marckiana, p. 155. Codex porro Quintiliani, quem Romæ scribi jussit Pius III pontifex, exstat Gothæ in Bibl. serenissimi ducis, n. LXVI[1]. In Bibl. Thuanea, tom. II, p. 465, memorantur Quintiliani Institutiones scriptæ manu Laurent. Vallæ, cum ejus notis. Cum notis Vallæ fuere etiam in Bibl. illustris Vallettæ. Ex MS. Farnesiano quædam emendat Latinius, tom. II Epist. p. 46; adde p. 37, 41, 42, 58; et de aliis tribus codicibus, tom. I, p. 231. Ex codice, quem a Melch. Hittorpio acceperat, loca nonnulla castigat Janus Guilelmius III, 14 Verisimilium. Ex alio, quem a Rittershusio habuit, Mich. Piccartus, cap. 18, Pericul. Critic. Alium Basileensem vide laudantem Barthium XIV, 18 Adversar. ubi ex eo emendat locum Fabii IV, 2, ex Cælio Antonium temulentum ac stertentem nobis depin-

1. Specimina lectionum ex illo codice vide, ubi lubebit, in Actis Eruditor. a. 1721, pag. 71 seq. et tom. VII supplementi, p. 480 seq. De aliis codicibus Fabii MSS. Matthæus Larroque præfatione ad librum gallice editum, *Nouvelles accusations contre M. Varillas.*

gentis. Alii codices aliis in locis servantur: ut in Bibl. Regia Paris. Bodleiana Oxonii. Florentiæ novem sunt in Medicea, alius in monasterio S. Mariæ, alius Fesulis in bibliotheca S. Cosmæ, in cœnobio Canonicorum: Lugduni Batavorum tres inter libros Vossianos, Bernæ item alius ac Coloniæ, alius denique in nostra (E) Bibl. qui olim in Bibl. Nic. Jos. *Foucaut*, nuper Kappii fuit, chartaceus, sine græcis: ex edito exemplo forte ductus. Græca se supplesse in codicibus Quintiliani, Macrobii, Gellii, et Pliniorum testatur Angelus Decembrius, lib. VII de Politia litteraria, p. 592, ubi nomina figurarum græca exhibet. Andreas Masius in Josuam, pag. 49: « Veteres *mœnire* pro « *munire* videntur dixisse, quod verbum in vetustis ego « Fabii exemplaribus scriptum reperi. »

Ille *Gallensis* ubi sit, et quid eo factum sit, in eo non consentire reperi scriptores. E Mabillonii Itin. Germ. p. 34, colligas, eum adhuc esse in illo monasterio: nam eo redisse etiam colligas e P. Mosellani epistola inter Goldasti epist. Philol. p. 156. Sed Vadianus in præf. ad Melam ait, eum Bibl. Florentinæ illatum esse: in qua se vidisse clare profitetur Raph. Regius in prima ad Quintilianum nota. In ea nunc tamen non est, ablatus inde olim cum aliis. Sed præter hunc Helveticum alius codex eodem fere tempore in Italia repertus est per Leon. Aretinum, ut tradit Vadianus idem de Monast. Gallensis Bibl. p. 161, in Goldasti Script. Alemann. t. III, sed vitiosum et mancum. Vid. et Laur. Mehus in Vita Aretini, p. 43. Ex his vero libris duobus Quintiliani opus recensuere et emendatiora exempla curavere idem ille Aretinus et Barzizius, quæ per totam Italiam sparsa sunt. Vid. Furietti Vitam Barzizii ante ejus opera, p. 36. Ex his igitur apparet, codices Quintiliani omnes esse vel ex uno exemplo Gallensi ortos, vel ex illa Barziziana recensione fluxisse: sed plerosque ex hac.

Libri duo artis Rhetoricæ deperditi.

In proœmio testatur Quintilianus, se eo magis hoc opus Institutionum ad summam perducere destinasse, quod *duo* jam sub nomine ipsius *libri* ferrentur *artis Rhetoricæ*, neque editi ab ipso, neque in hoc comparati, ut ederentur. « Namque alterum, inquit, sermone per biduum habito « pueri, quibus id præstabatur, exceperant; alterum plu- « ribus sane diebus, quantum notando consequi poterant, « interceptum boni juvenes, sed nimium amantes mei, « temerario editionis honore vulgaverant. »

His binis libris deperditis[1] bene est, quod ætatem tulerunt pulchri illi Institutionum libri, quibus accuratissime Fabius et copiosissime futurum oratorem instruit, non præcepta tantum proponens, verum *ab utero matris susceptum infantem limare incipiens, format in oratoris perfecti substantiam*, ut verbis utar Wibaldi, abbatis Corbeiensis, sec. XII clari, epist. 147: Tom. II monument. V. C. Edmundi *Martene*, p. 338[2]. Elementa enim, progressum,

1. Exstat liber sub tit. *M. Fabii Grammatica admodum brevis, et studiosæ pubi admodum utilis.* Paris. ap. Petrum *Viart*, s. l. et a. sed libellus nihil aliud habet, quam Institt. Or. lib. I, c. 4-9.

2. V. Erasmus in Ciceroniano, p. 91, cui adde hæc Rapini Observatt. de Eloquentia: « *Quintilien* « *prend celui qu'il destine à l'élo-* « *quence dès le berceau, et d'entre* « *les bras de sa nourrice, pour l'éle-* « *ver à l'étude de cet art, et pour le* « *mener pas à pas par tous les degrés* « *des sciences qu'il y croit néces-* « *saires. Dans le* premier *livre, il lui* « *choisit un précepteur domestique,* « *pour lui former la langue par les* « *premiers éléments de la pronon-* « *ciation de la grammaire. Il le* « *mène, dans le* second *livre, aux* « *écoles publiques pour y étudier la* « *rhétorique, dont il lui explique la* « *nature et les parties qui ont rap-* « *port à cet art. Au* troisième *livre,* « *il lui développe ce qui regarde l'é-* « *locution, et dans les* quatre *livres* « *suivants. Dans le* septième, *il en-* « *seigne ce qui appartient à la dis-* « *position et l'économie du discours,* « *qu'il continue de traiter dans les* « huitième, neuvième, dixième *et* « onzième. *Et dans le* douzième « *il décrit tout ce qui appartient* « *à la personne de l'orateur, pour* « *lui former le cœur et l'esprit,* « *et dont il fait un fort honnête* « *homme.* »

rationem, usum, exercitationem ponit ante oculos, non paucis adjectis, quæ Cicero vel prætermisit, vel obiter attigit: quod genus sunt de ratione concitandorum affectuum, de generibus et usu sententiarum, de modis amplificandi, de inventione propositionum, de partiendis iisdem ac digerendis, de transmigratione ac concursu statuum, de modo legendi, imitandi, scribendi. Et Lutheri nostri judicio [1], « Quintilianus unus est, qui optimos « reddit adolescentes, immo viros. Hunc unum rogo ante « omnia ne derelinquas..... Ego prorsus Quintilianum « fere omnibus auctoribus præfero, qui simul et instituit, « simul quoque eloquentiam monstrat, id est, verbo et re « docet quam felicissime. » Nec sine causa Muretus, lib. XVIII, 20, Var. Lect. indignatur, pro vetere more Quintilianum adolescentibus prælegendi invaluisse et frequentatum esse usum musteorum compendiorum. In principio quidem instauratarum litterarum lectiones rhetoricæ Quintiliani interpretatione constabant, et qui in Lips. Academia nunc professor eloquentiæ dicitur, institutus est ab initio sic, ut Quintiliani professor esset et diceretur. Atque ea fuit causa multitudinis editionum, prima illa ætate ultra medium usque sec. XVI factarum.

Dialogus de Oratoribus, num Quintiliani?

Scripsisse se librum de Causis corruptæ eloquentiæ, testatur Fabius ipse præf. libri VI. Sed libro VIII extremo, ubi idem scriptum suum commemorat, refert, se plenius in illo tractasse de tropis et singulatim de hyperbole: quod in dialogo de Oratoribus, seu de Causis corruptæ eloquen-

1. Epist. ad Georgium Spalatinum, inter eas quas Rev. Joannes Franciscus Buddeus primus edidit pag. 8. Ad Fabii exemplum Institutiones Medicas adornavit præstantissimus vir Joan. Baptista Morgagnus, quarum vulgavit ideam Patavii a. 1712, 4. Vide Diarium Venetum eruditorum Italiæ, t. XI, p. 409.

tiæ, qui hodie exstat, nusquam fit. Scriptus est libellus (in quo Curiatius Maternus, M. Aper, Julius Secundus et Vipsanius Messala colloquuntur), ad Justum Fabium, ad quem Epist. Plinii junioris, I, 11; II, 7, scriptæ sunt, anno sexto principatus Flavii Vespasiani, sive anno C. 74, ut ex cap. 17 constat. Ad Quintilianum, auctorem, refertur a multis, ut a Lipsio in Tacitum. H. Stephano Diss. de Criticis, p. 288, 290; Aug. Buchnero, lib. II, ep. 55; et lib. I de Commutata Ratione dicendi, c. 13; Matthia Berneggero qu. 116 in Tacitum; Jo. Freinshemio, Jo. Henr. Boeclero Bibliographiæ, p. 44; Christoph. Cellario, §. IX diss. de Silio Italico; Schurzfleischio, Francisco Modio in novantiquis lectionibus, a Menagio, tom. I Anti-Bailleti, p. 339; Grævio ad Hesiodum, p. 6; Christ. Aug. Heumanno, aliis. Tacitum autem, cui in MSS. tribuitur, auctorem malunt Petrus Pithœus, qui Quintiliani et Calpurnii Flacci Declamationibus addidit, ac notis illustravit; Gyraldus de Poetis, p. 199; Colomesius ad Gyraldum, p. 241; et Henricus Dodwellus V. C. in Annalibus Quintilianeis, p. 135 seq. At neque Taciti neque Quintiliani esse, T. Faber putabat ad Longinum, et Suetonio a nonnullis adscriptum ex eruditissimo Baluzio, tom. II Miscell. p. 451, discimus. Morabinus autem, qui hunc dialogum fecit gallicum, malit eum tribuere Curiatio Materno, cujus Cato, Thyestes, et Domitius, cap. 2, §. 3, memorantur, quemque occisum deinde a Domitiano, quod in tyrannos declamaverit, refert Xiphilinus e Dione, pag. 765. Inter tam diversas sententias vix video, quos sequar, quum quos fugere debeam, videar mihi videre. Equidem Quintiliano et sententiarum convenientia et styli et plurima argumenta alia hoc scriptum vindicant, ut si locum illum de tropis, cap. XXXV, dicamus excidisse, illi forte quam verisimillime tribuatur.

Prodiit sæpe in Quintiliani et Taciti editionibus. Primis edd. Quintiliani non additus est hic libellus: nostris qui-

dem exemplis edd. illarum omnibus, Jens. Regii, Aldi, Torini, R. Steph. etc. abest. Sed post ortam de auctore Quintiliano opinionem demum: at edd. Taciti a prima inde Vendelini Spirensis habent. Etiam separatim Upsaliæ admodum nitide atque emendate cum notis integris Rabodi Hermanni Schelii, P. Pithœi, Justi Lipsii, Jo. Freinshemii, Jo. Frid. Gronovii et Jo. Schultingii; selectis vero M. Antonii Mureti, Curtii Pichenæ et Val. Acidalii 1706, 8, edidit Ericus Benzelius, personasque colloquentium diligenter distinxit, utilissimo et in omnibus dialogis observando instituto. Conradi Samuelis Schurzfleischii observationes postumæ in hunc dialogum in lucem sunt prolatæ a fratre Henrico Leonhardo in Actis litterariis vulgatis Vitebergæ 1714, 8. Mox pro Quintiliani fœtu Christoph. Aug. Heumannus, dialogum hunc recognitum a se et notis illustratum edidit Goettingæ, 1719, 8, addita Epistola critica de jure latinam linguam augendi novis vocabulis, nempe ut occurreret iis, qui verbis et phrasibus insolentioribus ejus libelli moventur, velut illi S. F. D. auctori observationis de solœcismis et barbarismis hujus Dialogi, insertæ tomo X supplementi Actor. Eruditor. p. 227 [1]. Dialogi hujus exemplo Anna Daceria, doctissima femina, scripsit gallica lingua de Causis corrupti de pulchro judicii, *des Causes de la corruption du goût*, libros duos, quibus Homerum adversus Hurtadi Mottæi et Jo. Harduini censuras defendit. Girii versio gallica vidit lucem Paris. 1630, 4. Vertit et Maucroisius, canonicus Remensis, in cujus opusculis postumis prodiit Paris. 1710, 8. In iisdem gallice etiam redditus occurrit locus insignis ex Quin-

1. Nos quidem in ed. Taciti Opp. nostra vol. IV Biponti 1780 dialogum de Oratt. Tacito potius quam Quintil. in notis ad Lipsii præf. vindicatum ad exemplum editionum Taciti inde a principe Vendelini Spirensis omnium edidimus, eumque nova post Brotierium et Ernestium cura G. C. Crollii multis locis emendatum cum reddita in notis ratione. Quare eumdem Quintil. denuo addere haud visum est.

tiliani X, 3 et 4 Instit. Orator. de styli exercitiis instituendis. Sed elegantior Dialogi illius interpretatio gallica habetur, quam clarissimo librorum Ciceronis de Legibus interpreti Morabino debemus, edita Paris. 1722, 12*. Germanice vertit Joan. Christoph. Gotschedius ad calcem element. rhetoricorum Lips. 1728, 8.

Ex editionibus Quintiliani una ed. antiquior omnia ista, sive vere, sive falso Quintiliano tributa habet Hackiana a. 1665, 8, in qua Institutiones exstant cum præfat. et notis Adr. Turnebi, Joach. Camerarii, Danielis Parei, Jo. Frid. Gronovii et selectis variorum: Declamationes XIX cum notis paucis ejusdem Gronovii, Declamationes minores cum Petri Ærodii, P. Pithœi et ejusdem Gronovii observationibus: Calpurnius Flaccus cum notis Pithœi, Gronovii et Jo. Schultingii: Dialogus denique de Oratoribus cum Schelii commentario, notis Pithœi et Gronovii, Schultingiique, et ex Lipsio, Pichena, atque Acidalio excerptis animadversionibus.

* *Voyez l'indication de deux nouvelles traductions du même* Dialogue, *dans la notice des principales* édit. *et trad. de Tacite, p. 417 du t. V de notre édit. de* Tacite. *Marie-Joseph de Chénier a traduit aussi ce Dialogue. Voy. ses* Fragmens de Littérature.

INDEX

EDITIONUM

M. FAB. QUINTILIANI

INSTITUTIONUM ET DECLAMATIONUM,

GESNERIANO ET FABRICIO-ERNESTINO

EMENDATIOR ET AUCTIOR,

ILLARUM QUIDEM IN V ÆTATES,

HARUM IN IV DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS* 1470-1493.

Institutionum,... quarum principes editores sunt Jo. Ant. Campanus, et qui ipsum eodem anno insecutus est, Jo. Andreas, episc. Aleriensis, Romanarum curatores; quibus supervenit statim Jo. Omnibonus, Jensonianæ, seu Venetæ I curator, ingenio magis usus; cujus vestigia legit Andreas Ponticus, Brixiensis, qui Tarvisinæ præfuit. Mature ætas hæc cessit Raphaelis Regii, Venetæ, 1493, curatoris diligentiæ.

Ætas I *Declamationum* varie orditur et finitur. Primum quidem illas XIX Declamationes, quæ vulgo feruntur esse a Quintiliano, ab an. 1481 recensuit Georgius Merula cum Jac. Grasolario; conjungere vero cum

Institutionibus cœpit castigatiores Ascensius an. 1519, denuo correctas Jo. Lud. Tiletanus an. 1536. Fragmenta autem CXXXVI Declamationum, quæ tribuuntur Quintiliano, ex codice uno eoque corroso protulit primus an. 1494 Thaddæus Ugoletus: quorum textum an. 1563 ingenio emendavit Petrus Ærodius; ex vetere autem exemplari restituit Petrus Pithœus, novem aliis additis, unde provenere CXLV, et cum Calpurnii excerptis X Rhetorum minorum, ac dial. de Causis corruptæ eloquentiæ primum edidit an. 1580.

1470 *Romana* I, princeps. fol. Quintiliani Institutiones. In fine: « Romæ in via Papæ prope sanctum Marcum « anno salutis MCCCCLXX die vero tertia mensis Au« gusti, Paulo Veneto papa II florente, anno ejus VI, « per Ulricum *Han* sive Gallum Viennensem. » Hanc edit. curavit Jo. Ant. Campanus, tunc Taramensis postea Aprutinus episcopus; cujus vide epistolas Lipsiæ, 1707, 8, ex editione operum Campani Veneta a. 1502, f. in lucem reductas pag. 550 sqq. ubi habes perelegantem Campani præfationem, qua Quintilianum confert cum Cicerone. Vide Cat. *du Cab. de M. de Boze*, pag. 150; et Maittarium in Diss. epist. de antiq. Quintiliani editionibus ad Jo. Clericum. Lond. 1719, 4, in qua pag. 11-28 exhibentur specimina lectionum, quibus ab edit. R. Stephani differt editio Galli, et quædam editiones in Annalibus ejus typogr. non memoratæ indicantur. — *Lengnich Beytraege*, parte II, pag. 91.

——— *Romana* II, fol. per Conrad. *Schweynheim* et Arnold. *Pannarz*, cum Jo. Andreæ episcopi Aleriensis epistola ad Paulum II pontificem. — Andream Campani laboribus usum esse indicatur his verbis: « Hunc (Quinti« lianum) proximis calorum urbis diebus mediocri « cura recognovimus, minore sane labore, quam cæte« ros, propterea quod ab homine ordinis nostri excel« lenti (Jo. Campano) ante traditus erat alteri talium « opificum officinæ imprimendus. » — Gibsonus hac

edit. usus est. Vid. T. G. Freytag. in Apparatu litter. t. III, pag. 70-72.

1471 *Veneta* I, Instit. fol. M. Fabii Quintiliani Institutiones Oratoriæ. In fine:

QUINTILIANUM ELOQUENTIÆ FONTEM AB
ERUDITISSIMO OMNIBONO LEONICENO
EMENDATUM M. NICOLAUS IENSON GALLICUS
VIVENTIBUS POSTERISQUE
MIRO IMPRESSIT ARTIFICIO
ANNIS MCCCCLXXI. MENSE MAII DIE XXI.
DEO GRATIAS.

Sic distincte profertur titulus in P. III Indicis librorum quorumdam sub incunabula typographiæ impressorum, quos possidet Altorfii C. G. Schwarzius P. P. Norimb. 1727, p. 65 seq. Omnibonus in ep. ad. *Moysen de Bufarelis*, episcopum Belunensem (qui tamen mortuus esse dicitur anno seculi LXX ap. Ughellum), laudat primum artificem: « Accedebant justæ præces « magistri Nicolai Jenson Gallici alterius (ut vere di- « cam) Dædali: qui librariæ artis mirabilis inventor; « non ut scribantur calamo libri: sed veluti gemma « imprimantur: ac prope sigillo primus omnium inge- « niose monstravit, ut huic viro, qui de re litteraria « tam bene meruerit, nemo sit, qui non favere sum- « mopere debeat. » Intelligas hæc non de prima typographiæ inventione, sed de eleganti typorum Jensonianorum artificio Venetiis inducto. De primæ edit. vitiis conqueritur his verbis Omnibonus, « Se tertio « ante anno librum ipsum auditoribus exponere ag- « gressum, ita vitiatum reperisse, ut nusquam ferme « sincerus videretur. » Sub finem epist. sic pergit: « Sed « bene Deus, qui sua pro benignitate orsis nostris suc- « cessus prosperos dedit: altero quidem tertiove ex- « cepto loco: ubi exempla ut videntur græca latinis « depravata lituris quam litteris emendationem non

« accipiunt: nec auctorum unde ea sumpta sunt no-
« mina ponuntur: ut ex his quæri possit. Cætera om-
» nia: ut ego quidem arbitror ita sunt pro mediocritate
« ingenii mei castigata: ut eruditis ingeniis satis fac-
« tum iri non dubitem. » Itaque hæc editio castigatior est Romanis ab ingenio Omniboni; neque græca habet. Vicissim bonæ reperiuntur lectiones ab editoribus recentioribus non notatæ: unde eos hac edit. non usos, aut parum diligenter usos, patet. Gesnerum ipsum, cujus ad manus ea fuit, Jensonianas lectiones minus diligenter notasse testatur Jo. Aug. Ernesti in Fabricii B. L. Est quoque hujus ed. exemplar in bibl. civit. Memmingensis, teste clar. Phil. Guil. *Gercke* in Itinerario Sueviæ, Bavariæ, etc. Germ. scripto, tom. I, pag. 182.

1476 *Mediol.* fol. Quintiliani Institutiones. In fine: « Quin-
« tiliani Institutiones oratorias diligenter emendatas
« Ant. Zarothus Parmensis Mediolani sollerter impres-
« sit, anno a natali Christiano MCCCCLXXVI, V Idus
« Junias auspice Christo. » Vid. Maittair. Diss. epist. p. 30, et Jo. Ant. Saxii Cat. lib. Mediolani edit. ad h. a.

..... fol. Quintiliani Declamationes XIX — sine nota loci aut temporis. Exstat in Bibl. Leidensi, p. 256. Conf. Patarolium ad ed. anni 1743.

1481 *Veneta*, fol. — Declamationes, per Lucam Venet. ex recensione Georgii Merulæ, Alexandrini, cum præfatione Jac. Grasolarii; qui dicit, se vetera exempla inspexisse et diligenter perlegisse; dein, ne quid ulla ex parte mendosum esset, Georgio Alexandrino præceptori suo corrigendum dedisse: eum solita diligentia recognovisse. In fine dicit, se eas Declamationes a situ et squalore revocasse: hortaturque, ut alii suum exemplum imitentur ad *indaganda* et *corrigenda* veterum scriptt. volumina. Qui modus loquendi videtur indicare, hanc esse primam editionem. — Est in Bibl. senat. Lips.

148? *Tarvisina*, fol. — Institutiones. In fine: « Impressum

« Tarvisii per magistrum Dionysium Bononiensem ac « Peregrinum ejus socium. MCCCCLXXXII die XXII » mensis octobris. » Exprimit hæc edit. textum Jensonianæ, sed admixtis multis vitiis operarum. Auctor ejus fuit Andreas Ponticus, Brixiensis, qui in præfatione ita loquitur, tamquam magna cura rem egerit. Cæterum vere indicat, qui Quintilianum recte tractare velit, eum esse debere omnium artium liberalium peritum. Exempl. hujus edit. est in Bibl. Lips. Paullina.

—— *Veneta*, fol. Quintiliani Institutiones.

—— *Veneta*, fol. — Declamationes XIX, ex eadem offic. ejusdem exempli, ut edit. a. 1481, nisi quod edit. 1481 pulchrior est. Est in Bibl. senat. Lips. Conf. Cl. Lengnich. *Beytraege*, parte II, p. 92.

1490 *Parmæ*, fol. ex Bibl. Marck. p. 155.

ÆTAS II. *REGIO—ASCENSIANA* 1493-1538.

Ab ejus auspice Raphaele Regio : cujus recensionem notasque reddidere Venetæ, Basileenses et Parisinæ; immo et Juntina an. 1510, quæ tamen auctore Nic. Angelio nonnunquam ab ea discessit, et sequaces invenit tum Aldinas ab Andr. Naugerio ac Bapt. Rhamnusio curatas an. 1514, tum Ascensianas. Sed hæ, quod ad Institt. attinet, ex Cod. Laur. Vallæ, et in Declamatt. XIX ex libro vetere Lexoviensi emendatiores exstitere ab an. 1516 et 1519: Colonienses quoque Aldinam non secutæ solum, curante Mich. Hittorpio, a. 1521, sed et a. 1527 nova collatione facta a Ger. Bucoldiano, emendarunt. Illustrarunt porro Quintilianum suis notis post Regium, Merulam et Badium Petr. Mosellanus, quæ Basileæ lucem viderunt 1527, quas Badius cum suis conjungere cœpit. Etiam Jo. Sichardi notæ Basileæ, 1529, Gisberti Longolii Coloniæ, 1534, et Guil. Philandri ab an. 1535 etiam in Gryphianis et Coloniensibus obviæ, et Joach. Camerarii et Ant. Pini Portodomæi Lusitani, in Quintiliani libros laudem meruerunt, vel

in edd. Parisinas ab an. 1538 receptæ sunt, inter quas præstant fere illæ Tiletani an. 1536, Gallandii an. 1538. Sed hanc referre maluimus ad ætatem III. Epitomen Institt. confecit primus Jonas Philologus, an. 1531 a Sim. Colinæo, Parisiis editam, dein aliquoties repetitam. De Declamationibus jam ad æt. I monuimus.

1493 *Veneta*, fol. Quintiliani Institutiones Oratoriæ, cum annotationibus Raphaelis Regii, per Bonetum Locatellum, mandato et sumptibus nobilis viri Octaviani Scoti. Vid. Catal. Bibl. Bunav. t. I, vol. 1, p. 352. Raphael Regius, qui jam a. 1490, Venet. edidit specimen observationum in Quintilianum, in Dialogo de quibusdam Quintiliani locis, queritur in epistola, quæ est in edit. Ovidianarum Metamorphosium Venet. 1517, has suas emendationes ab aliquo, se inscio, in textum esse illatas. A quo id factum sit, ignoratur. Quidam suspicantur de Parmensi. — Sequentes Quintiliani editores Regii editionem plerumque secuti sunt. Exstat in Bibl. Francof. ad Mænum.

1494 *Parmæ*, fol. Quintiliani Declamationes CXXXVI. In fine: « M. Fabii Quintiliani declamatoris Declama-« tiones CXXXVI. Parmæ. » Finiunt per Thaddæum Ugoletum Parmensem: Olympiade quingentesima sexagesima octava, qui est annus a salute Christiana MCCCCLXXXXIV quinto non. Jul. Ugoletus hujus edit. auctor, dicit in epist. ad Ge. Anselmum nepotem: « quæ ex unico exemplari emendare desperarem, malui ut qualescunque essent, tuo auspicio in lucem postliminio redirent: quam a tineis (ut major earum pars) corroderentur. Confusas tamen antea leges, argumenta, declamationes, sermones.... separavimus, et in pristinam formam redigere curavimus. Correximus etiam nonnulla librariorum vitia, temporum nequaquam: multa intacta omisimus, ne forte magis depravaremus. » Conf. Maittair. t. I, p. 419, 432, et Cat. Bibl. Bunav. t. I, vol. p. 352.

..... fol. s. l. et a. Declamationes XIX. Conf. Hamberger. t. II, p. 220.

—— *Venet.* fol. Quint. Institutiones oratoriæ c. n. Laur. Vallensis, Pomponii ac Sulpitii. Venetiis per Peregrinum de Pasqualibus de Bononia MCCCCLXXXXIV. Vid. Catal. Bibl. Bunav. t. I, vol. I, p. 352, et Lengnich *Beytraege*, part. II, p. 92. Hæc edit. omnes recepit Regii correctiones, ab illo in textum non receptas, quod Vallæ Badius quoque exprobravit, nec falso; nam Vallæ et Pomponii notæ desinunt cum libro tertio, suntque Vallæ plerumque breves: Sulpitii reperiuntur nullæ: sed cæteræ omnes inde a libro tertio sunt Regii: videturque factum esse fraude librarii, volentis persuadere hominibus, omnia sua nova esse. Itaque nec nomen Regii in titulo posuit, nec ejus præfationem repetiit, sed Campani et Leoniceni. Gibsonus contulit.

1496 *Romæ*, fol. — Institutiones.

1498 *Paris.* fol. de hac dubitatur. Conf. Lengnich *Beytraege*, part. II, pag. 92.

..... 4, circa hæc tempora sine loci, anni, typographi notatione, charactere pulcherrimo apud Maitt. Hanc esse repetitionem Jensonianæ a. 1471, multis ῥήσεσι comparatis cognoscitur: habet etiam lib. IX, 4, lectionem *dochmius*. Præposita quoque est eadem præfatio. Græca, quæ ab Jensoniana absunt, expressa habet.

1506 *Veneta.* Institt. fol. repet. edit. a. 1493, sed correctior et a vitiis operarum purior.

—— fol. sine nota loci aut typographi: Impressum fuit hoc opus 12 maii. *Bure* ex Hist. crit. t. V, pag. 356, sed miratur in Catalogo bibliothecæ Ultrajectinæ non inveniri, quum habuisse dicatur Almelovenius.

—— *Basil.* fol. Institt. c. n. Raph. Regii.

..... *Parrhisiis*, 4, sine nota temporis: M. Fabii Quintiliani grammatica admodum brevis, etc. insigni inscriptum P. *Viart.* Sunt capita libri primi 5-15. Habuit Christius professor Lipsiensis.

1509 *Paris.* f. M. F. Quintiliani Declamationes CXXXVI, apud Jo. Parvum. Repet. edit. Ugoleti a. 1494.

1510. *Florent.* 8, e Juntina officina. Præfuit huic, ut multis aliis Juntinis libris Nicolaus Angelius, quem dicit Junta multa exemplaria contulisse, sed eorum ope parum efficere potuisse, eoque nomine et ipsum conquestum esse, cæterum multas maculas detersisse. — Textus in hac edit. est Regii; a quo tamen interdum est discessum, ut lib. X, 1 extr. ubi omnes editiones superiores habent, quoad scimus, *Cornelius Celsus Sextios secutus*, hæc *Sceptios*, ex quo post *Scepticos* factum, quod videtur dare voluisse Angelius.

——— *Lugd.* 8. Habet insigne Juntino simile. In præfatiuncula Godofr. Torinus Bituricus Jo. *Rosselletto*, « Cu« rasti, inquit, ut per me Quintilianus emendatior « characteribus et impressioni daretur bellissime. Mul« tis exemplaribus diligenter collatis, unum (mendis « pene innumerabilibus deletis) castigatissimum non « pigra manu feci, ipsum, ut jussisti, a Parrhisiis « Lugdunum misi. Parrhisiis ap. collegium Plessia« cum. » Fuit hæc ap. Christium prof. Lips. neque quidquam in ea reperitur a cæteris diversi, quod non sit in Jensoniana et Tarvisina.

1512 *Venet.* fol. c. n. Raph. Regii, apud Georgium de Rusconibus. Repet. edit. a. 1493, sed correctior et a vitiis operarum purior.

——— *Aldina* I: Venet. fol. ap. Aldum, ex Andr. Naugerii et Bapt. Rhamnusii recognitione. Hæc est mera repet. Juntinæ, et Naugerius, adjutore Rhamnusio (cui hanc ed. dedicavit Aldus Pius Manutius), tantum correctionem speciminum typographicorum curasse videtur; habet enim illam lectionem *Sceptios*, et alias novas Juntinas. — Burmannus hac usus est, et Gesnerus inspexit eam beneficio illustriss. viri Georg. Christ. Gebaueri.

1514 *Aldina* II: Venet. 4, s. 8 maj. — Institutiones oratoriæ, in ædibus Aldi et Andreæ Soceri; mense Aug. —

Naugerium atque Rhamnusium hanc curasse dicit Hambergerus, t. II, pag. 218.

1515 *Juntina* II: Quintil. (M. Fab.) de Inst. Oratoria libri XII. Florentiæ sumptibus Phil. Juntæ, 8 repet. edit. a. 1510.

1516 *Ascensiana* I: fol. ap. Jod. Badium Ascensium c. Annotationibus Raph. Regii et Georgii Merulæ (quæ modo a libro XII, c. 7, ubi desinunt Regii, incipiunt) et Jod. Badii Asc. qui ex Laurent. Vallæ codice sexcenta loca restituisse se jactat.

1519 *Ascensiana* II: fol. ap. Jod. Bad. Ascensium cum Declamatt. XIX. Vid. Maittarium in Dissert. epist. pag. 30. Repet. præcedentis. Sed ad recensendas et castigandas Declamationes vetustissimus liber e Bibliotheca Lexoviensis collegii adhibitus esse dicitur: unde hanc editionem cæteris præfert Barthius, et plura loca primæ Declamationis corrigit et illustrat.

1520 *Ascensiana* III, 4, ap. Jod. Bad. Ascensium Cl. Gesnerus vidit hanc ap. cel. Kappium Lips.

1521 *Aldina* III, 4, s. 8 maj. Institutiones Oratoriæ. Index capitum. Conversio dictionum gr. Venetiis. Gibsonus et Burmannus hac usi sunt.

—— *Coloniensis* I: fol. M. F. Quint. Or. Inst. libri XII, una cum Declamatt. ejusdem argutissimis ad horrendæ vetustatis exemplar impressis. Coloniæ in ædibus Euchar. Cervicorni et Hieronis *Fuchs*. Hanc edit. curavit Godefr. Hittorpius, qui in præfatione ad Melanchthonem nihil aliud dicit, quam se curasse, ut diligenter excuderetur opus. In Institutionis Orat. opere in margine sunt lectiones variæ interdum additæ.

1522 *Venet.* fol. c. n. Raph. Regii, apud Bernardinum de Vianis de Lexona Vercellensem.

1527 *Paris.* 8, c. Declamatt. XIX ap. Cl. Chevallonium.

—— *Paris.* fol. ap. Pet. Vidovæum: ex *la Caille, Hist. de l'Impr.* p. 82. Ascensianæ hæc creditur esse repetitio.

—— *Venet.* fol. c. n. Raph. Regii.

